







XXXVIII MONTEC
II
3
278










XXXVIIII
MONTEC.



ORATIO
ILLVSTRISSIMI DOMINI
COMITIS CAROLI MONTECVCCOLI
DE LAVDIBVS D. HYACINTHI.

In lucem edita à Comite FRANCISCO *eius fratre,*

&


SERENISSIMO PRINCIPI ALFONSO ESTENSI
DEDICATA.



In Modona, Per il Verdi, Con licenZa de' Superiori.



AD SERENISSIMVM PRINCIPEM ALFONSVM ESTENSEM.





SSE ingenijs nostris semina quædam innata virtutum, Serenissime Princeps, testatur tum ea ratio, seu lex, quæ quemque nostrum suapte natura ad bona, quasi suadens, dirigit, quam solam esse posse satis idoneam vniuersæ hominum communionis rectricem, Deus iam inde vsque à constitutione mundi multis sæculis indicauit: tum etiam ostendunt multa præclara hominum instituta, publicis proposita & corroborata præceptionibus, & omni populorum obseruatione culta. neque enim Deus tot sæculis

humanam progeniem ſuis carere præceptis paſsus eßet, niſi inſeruiſſe ſe aliquid eorum ingenijs conſcius fuiſſet, cuius beneficio bonorum & malorum ſenſum haberent efficacem: neque excogitare homines tot inſignia documenta vnquam potuiſſent, niſi ineſſet eorum animis aliquid, cuius ductu ad ea aſpiraſſent: id autem cum Cicerone intelligimus ſemina eße virtutum. Itaq; ſi hæc adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam natura perduceret. verum obruuntur plurimùm prauitate, quam tum ſponte noſtra, tum confirmata iam, & inueterata conſuetudine conſectamur; vt in plurimis nunquam omnino germinent, in paucis verò fructus proferant ſuos: quos quidem nihil eſſe aliud, quàm illud, quo nihil melius, aut maius aiunt mortalibus a Deo eſſe donatum, ſtudium inquam ſapientiæ, & optimas quaſque artes, haud abs re dixerimus, admoniti poetæ autoritate ſic canentis:

Implendus ſibi quiſque bonis eſt artibus, illæ
Sunt animi fruges:

atque etiam inde edocti, quòd, vt videmus, quemadmodum cæcam ignorantiam improbitas, ita ſapientiam, tanquam præſtantiſsimam quandam

dam diuinis illis ſeminibus genitam ducem, integritas vitæ ſemper conſequatur. Ea verò qualia in ingenio fratris mei Comitis Caroli, quem nobis nuper immatura mors eripuit, fuerint, & quomodo ipſis primis vitæ annis vi ſua connixa ſeſe extulerint, atque ad ampliſsimos fructus ferendos eﬄoreſcere fœcundè cæperint, iamdudum id eorum, qui ipſum norunt, voce & ſermonibus meliùs communi famæ traditum eſt, quàm ego literis vnquam eſſem expreſſurus. oſtendit certè eius ſtudium, in quo adhuc tener puellus cum delectabili impetu verſari cæperat, & acumen, quod pro eius ætate neminem non in admirationem rapiebat, & doctrina, quam incredibili celeritate ſibi comparauerat, & morum vitæque probitas, quæ multa etiam in eo fuit, peculiari naturæ munificentia illa ipſi inſita fuiſſe; ad inſigne quidem familiæ noſtræ ornamentum, niſi aduerſa fata plus nobis eius morte adimere properaſſent, quàm natura natiuitate largita eſſet. ſed & eius rei alia clariora poſt ſe reliquit teſtimonia, nempe plurimos de omni diſciplinarum genere libros à ſe compoſitos, quales neminem alium tam breui vitæ ſpatio, qui erant ſo-

lum

lùm octodecim anni & vndecim menses, effecisse indubitanter licet affirmare. in quibus ego, tanquam delectabilia illorum seminum germina, sed priusquam adoleuissent, repentina tempestate deiecta, contempler & recolligam, perpetuò versor; atque cum re ipsa & suis initijs insignes videam, vniuerso autem fine imperfectos, eo mihi videor circa ipsos officio fungi, quo leones solent, aut vrsi, circa fœtus suos vitæ adhuc expertes; illi vt suos clamore & rugitu suscitent, hi vt lambendo perfectè effingant: quanquam nulla mihi poßit esse vnquam, vt illis est, spes aut facultas aliquid efficiendi melius; cum in his consummandis mens ipsius ignota nobis omnino sit: hoc solùm efficio, vt eos ordine suo disponam, & explorem, quid inter ipsos reperiatur dignum, quod lectoribus palàm possit communicari. multa autem esse digna comperio: sed non est huius meæ ætatis, aut opis, Philosophica, Theologica, Astronomica, Mathematica, & alia huiusmodi volumina, vt propediem edi poßint, diligenter vt oportet peruidere, & ponderare. successu autem temporis, ne & tam præclara naturæ in eum largitas, & tantus ipsius, tamque dignus labor per

ne-

neglectum nostrum in nihilum euanescat, ea in diem ad diuinæ maiestatis gloriam efferemus. Nunc autem hanc de laudibus Diui Hyacinthi orationem, quam totam manu ipsius conscriptam inueni, visum est edere; etsi id quodammodo prohibere videantur hæc illius, quæ in capite exordij scripta fuerunt, verba: si quis, inquit, hanc orationem inter scripta mea forte deprahenderit, sciat me nolle, vt sic se habeat, & multa adhuc cogito mutare: at cum nescirem, quæ fuerit hæc ipsius mutandi intentio, nihil omnino censui immutandum, sed relinquenda omnia eo modo, quo ab ipso relicta sunt. quapropter si quid in ea imperfectum esse videretur, excusatus author habendus est. politiorem enim futuram fuisse indubitatum est, si summa ei manus ab illo pro arbitrio suo fuisset imposita. Hanc itaque, vt nominis & potestatis tuæ amplitudine, tanquam firmissimo præsidio, munita prodeat, tibi dedico, rogoque, vt eam pro magnitudine tam Sancti viri, & propenso domus nostræ erga Serenissimam tuam personam studio, beneuolo & læto animo suscipias: quod si, quæ tua est humanitas, feceris; etsi munus hoc & meritis tuis atque celsi-

tudini,

tudini, & meis debitis atque promptæ voluntati, longè impar esse conscius sim, multum tamen ei ex liberalitate tua ponderis accessisse, quo hic defectus suppleatur, putabo, meque optabilem hunc tibi domuique tuæ placendi finem, quem præcipuum omnis iste conatus, quo & ego nunc in libris his edendis, & frater meus in conficiendis versabatur, spectat, assecutum esse gaudebo.


Celsitudini tuæ

Addictissimus

Franciscus Montecuccolus.



ORATIO
MI
ILLVSTR. D. COMITIS
CAROLI MONTECVCCOLI
DE LAVDIBVS
DIVI HyACINTHI CARPI
conſcripta Idibus Septembribus
anni 1609.





Loriosiſsimi Chriſtianæ fidei athletæ, inuictiſsimi pugnatoris, atque fortiſsimi ducis, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ lapidis angularis, in quo ſicut olim per Chriſtum firmata fuit, nunc per ſeruum ſuum amplificata eſt: Hyacinthi inquam ſideris excelſi, atque radiantis laudes, humaniſsimi Exordiũ.

 audi-

auditores, ſilendaſne, an lingua balbutientis pueri, vel hominis polluti labijs commemorandas eſſe exiſtimatis? cœli enarrant gloriam Dei, & omnia quæ fecit Dominus, eum in Sanctis ſuis laudant, & ſilebit rationalis creatura laudem Dei, irrationabili non ſilente? ſilebit laudes Domini amicus & charus Domino, immo verò filius eius, quia patrem in cœlis habemus, ſeruo, id eſt alijs creaturis, loquente? immo, ſilebit ſeruus vociferantibus ſeruorum ſeruis? quia homo ſeruus domini creaturas ſeruas habet, vt habetur Gen. 1. ſilebit tandem ſeruus perſonante Domino ſerui ſui laudes ac dicente; Gaude fili Hyacinthe? non ergo tacebo ipſe quoque, ſed ſoluens artus linguæ meæ eloquar, cum ſi taceam, à lapidibus iubear clamare atque omnibus creaturis, quæ Dominum in Sancto ſuo laudare volunt. Sed præter hæc alius non detrectandus laudationis huius ſtimulus ſubiectus mihi eſt. nam pater meus Illuſtriſsimus Comes Aeneas Montecuccolus, præfectus Carpi mihi imperauit, vt orationem aliquam in gloriam Diui Hyacinthi conficerem, tum quòd amplitudo eius id ſibi iure vendicaret, tum quòd

Pſal. 18.

Matt. 23.

Cur dicere decear.

eius

eius protector esset : cui duas ædes ædificauit, & suis reditibus ita instruxit, vt semper sacerdos vtrobique habitet, & ijs viuat, & sacrificia quotidie celebret : & præterea in alio templo altare ipsi erexit. sed hæc multò inferiora sunt & illius meritis, & patris mei obligationi. nam cum anno 1596. morti omnino propinquus esset, seque illi deuouisset, continuò conualuit, & sub hoc suo tutelari nos fratres & sorores educauit, & desideramus vsque ad finem vitæ nostræ sub hac tanta protectione viuere : pro cuius desiderij leui argumento hanc aggrediar orationem, non sine illa spe, vt si mihi vita suppetat, laudes Diui huius diligentiùs & copiosiùs pro virili exequar. eloquar igitur, sed quomodo absque auxilio tuo, Hyacinthe, potero aperire fidelibus laudes tuas non præditus eloquentia, aut vlla facultate dicendi? auxilieris ergo tu mihi secundum misericordiam tuam, impetrando scilicet seruo tuo sapientiam atque doctrinam, qua possim opus inceptum peragere, ad laudem Domini & matris eius, atque tuam: neque moueant te peccata mea, pro quibus preces tuę ad Deum fusæ satis possunt Deo fonti mi-

ſericordiæ ſatisfacere; & quia oratio peccatoris cum ſpiritu facta (teſte Diuo Gregorio in Pſalmum 6.) præſupponit exauditionem, ideo miſericordia domini & tua humanitas me ſumma ſpe replent, vt oratio mea iam exaudita ſit. mecum ergo omnes creaturas vocando ad laudem tuam, opera tua te ipſum laudantia enarrare incipiam. Eia ergo mecum ſeruum domini laudate, atque Dominum in ſeruo conſtitutæ à Domi-
Pſal. 148. no creaturæ; ne ſileamus ſed pſalmum dicentes nomini eius, cantemus: cantate vos angeli, qui conſeruum tam dignum habetis: cantate vos cœli, qui fulgentiſſimo ſole decoramini: canite vos ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, cum benedixeris ei tam ſæpe, tunc verò præcipuè, cum ſegetes à veſtro liberauit impetu: lauda eum aer, qui toties vocum ſanctiſſimarum lator fuiſti fidiſſimus & optimus: cantando tu quoque lauda nomen eius aqua, quæ toties obſecuta illi fuiſti, corpora ſubmerſorum tu ipſa fida latrix efferendo: cantate terra, & omnes fructus eius, cum animalibus omnibus, cum toties vel à nece liberati fueritis, vel à periculis ſalui redditi, atque reſtaurati: canite

vos

vos omnes homines, qui tantum protecto-
rem apud Deum habetis. cantantibus ergo
vobis certè & meis vocibus aera replebo,
& contendam totis viribus eximium lauda-
re Hyacinthum: qui quamuis à multis de-
terrear, in primis tamen mihi lætandum esse
video, quòd protectoris mei, a quo nun-
quam in vanum petij auxilium, laudes sum
dicturus. præterea verò is laudandi locus
mihi est oblatus, in quo oratio nemini dees-
se potest; cum talis dei (quia, vt inquit pro- Psal. 81.
pheta, ego dixi, dij estis & filij excelsi om-
nes) opera admiranda sim expositurus; li-
cet minimè idoneus laudator sim, quia non
est pulchra in ore peccatoris laus. quare
huius orationis difficilius est exitum, quàm
principium inuenire; neque quid dicam
quærere debeo, sed tantùm modus in dicen-
do desiderandus. primum ergo commen-
data charitati vestræ tenuitate mea, & antè
implorato auxilio diuino, vt distinctior no-
stra oratio appareat, dicenda proponemus:
& quia sermones nostros scriptura sacra vo-
lumus inniti, vt cum ipsi ex se imbecilles
sint, ea fortiores reddantur, ideo breuem
hanc orationem in quatuor partes diuide-
mus;

mus; oſtendendo Hyacinthum ſanctum & tabernaculum Dei, & ſanctam veſtem ſacerdotis, nec non templum ſanctum Dei, & tandem manus ipſas ſummi ſponſi, vel in vita, vel poſt vitam ornaſſe: quia de Hyacintho, vt conferente ad ornatum Dei, fit mentio in ſacra ſcriptura ſub his rationibus. Prætermittam autem illa, quæ nullum ſancto honorem afferunt; neque dicam de maxima ſanguinis nobilitate, quæ in eo fuit, cum auos Epiſcopos ipſe Comes habuerit; non dicam de Cracouia patria eius (licet ipſe ruri natus ſit) vrbe nulli infima; non de regum amicitia, neque de alijs temporalibus commodis, & honoribus ipſius; neque dicam de nomine, quod licet ſoleat afferre nobilitatem, dicente Paulo, Chriſto datum nomen, quod eſt ſupra omne nomen; tamen ſcimus bonos non efficere: neque præterea de illo facere mentionem curabo; nam ipſi conueniſſe optimè omnes vno ore teſtabuntur. ſi enim ipſum conſideremus, vt datur lapidi, ſplendorem; ſi vt datur flori, odorem; tandem verò ſi vt datur colori, pulchritudinem inueniemus velle in noſtro Sancto ponere & oſtendere. quid ſplendidius operibus eius tum in

Exo. 26. Exo. 28. 2. Paralip. 3. Cant. 5.

Prima pars.

Multa dicenda silet.

vita tum post mortem factis? quid vitæ eius odore excellentiore redolet fragrantia? & quid pœnitentia sanctissimi huius viri pulchrius pretiosiusue? quod idem & actiones ipsæ declarant huius admirandi Sancti. quid splendidius luce, quæ super sepulchrum eius apparuit, aut illa quæ circum ipsum & ægrotum & Episcopum post mortem suam apparentem fuit? aut quodnam excellentius genus odoris fuit illo, quod dedit sepulchrum eius? quidue ornatius facie eius post obitum se videndam reddente? sed vt dixi his prætermissis, me conferam ad superiùs proposita principalia declaranda. antequam tamen quomodo tabernaculum ornet Hyacinthus videamus, quid ornatum hoc tabernaculum significet, intelligere debemus, circa quod contentus expositione Diui August. dicam tabernaculum significare Christum, vnde Psal. 18. in sole posuit tabernaculum suum, quod Augustinus exponit de filio Dei, in prima parte quæstionum ex veteri testamento circa finem, deinde dicit etiam & ostendit, Ecclesiam Dei, vt idem testatur in psalmos, vnde Apostolus, vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam; quia vt idem alibi testatur, Narratio.

nos

Taberna-culi acceptiones multæ. Prima ad Cor.

nos, qui ſumus ſimul coniuncti conſtitutores Eccleſiæ, ſumus templum Spiritus ſancti. tabernaculum tandem Dei eſt anima noſtra, vnde Deut. 14. populus ſanctus domus Dei, teſte eodem Aug. in pſalmos. noſter ergo Sanctus, quia Chriſtum ornauit, ornauit etiam tabernaculum Domini. nonne pretioſa Deum ornant? pretioſa autem in conſpectu Domini mors Sanctorum eſt, Pſal. 115. quare Hyacinthus moriens Chriſtum ornauit; & meritò quidem, namque mors eius tam ſanctè obita fuit, vt nihil ſupra: ſed in vita etiam ornauit, namque cum iuſti ornent dominum, vt teſtatur ſapientia cap. 3. ipſe iuſtiſſimus ita ornauit, vt ſummum gradum attigiſſe credere debeamus; & quia, vt teſtatur Chriſtus apud Ioannem qui honorificat filium, honorificat & patrem; ideo concludere poſſumus totam ſanctiſſimam Trinitatem ipſum clarificaſſe, & clarificando vt potuit ornaſſe. ſi enim vt teſtatur Aug. in Ioannem Chriſtus per diſceſſum Iudæ fuit clarificatus, ita quanto magis clarificabitur per aduentum iuſti, qui iuſtus non erat timore, ſed amore? & qui ita iuſtus erat, vt cum iuſtitia natus videretur, & qui tanto igne

amoris

amoris iuſtitiæ plenus erat, vt non valens flammam ſilens continere clamaret cum ſponſa domini, ſcilicet anima eius; amore langueo: quod & operibus voluit confirmare: namque cum fulgentiſſima gemma eſſet, ſed non adhuc bene elimata, cumque pulcherrimus flos cognoſceretur, ſed non adhuc benè floridus, atque pulcherrimus color, ſed non adhuc ab immunditijs ſeparatus, vt floridus fieret, lucidus, & pulcher, ſe dare voluit totum Deo, vt poſtquam anima eius ad manus Domini veniſſet, poſſet ipſas ornare. quare primùm quidem ab inimicis Domini vt longè recederet, & præcipuè à mundo, presbyter ſub auo ſuo dignitate quadam functus, effectus eſt; deinde verò ſtrictioris religionis deſiderio prǫditus cum eſſet, ſub Diuo Dominico, vt à carne & deinde à diabolo procul abiret, regulam Prædicatorum profeſſus eſt, & optimè eam ſeruauit. quid ſilemus modò, nec aperimus os noſtrum, vt tantum factum laudemus? laudatur Petrus, cum Matthǫo, & Ioanne, quia vel retia, vel nummos, vel ſponſam reliquerunt; & non laudabimus Hyacinthum, qui reliquit omnes mundi commoditates, & non

ſolùm ſecutus eſt dominum vocantem, ſed quæſiuit illum? nec mirum eſt, illos protinus feruidos factos à pręſentia ipſius ignis amoris, ſcilicet Chriſti, qui ignis comburens eſt; ſed mirum eſt Hyacinthum non ſolùm calentem, ſed & aridum effectum abſque verborum ipſius Chriſti auditione, & abſque ſplendoris lucis ipſius viſione. neque tamen mirum eſt, ſi conſideremus Sanctiſsimi huius viri virtutes, quæ animam eius ita pulchram reddiderant, vt regem ipſum amore ipſius capi cogerent: coactus eſt ergo (data miſericordia ſua) amorem reddere mutuum illi, qui intenſiſsimè amabat eum, ideo accepit animam eius in ſponſam, quæ ipſum ſecuta eſt: ſequitur ſponſum ſuum, ſequitur ducem ſuum miles, aut itineris comitem peregrinus, quia militia, & peregrinatio eſt vita hominis ſuper terram, teſte Iob. ſequitur dominum ſuum ſeruus, vel potiùs patrem ſuum filius, quia vt dicit Apoſtolus ad Romanos 8. non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, id eſt pater; ſequitur non gradu, non curſu, ſed præcipitando: & iure, audierat enim Dominum

dicen-

dicentem apud Matthæum, qui vult ſequi me, relictis omnibus tollat crucem ſuam, & propheta Pſalmo 44. dicebat, audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet rex decorem tuum: & Moyſes in cantico laudat Leui, quia dixit patri & matri ſuæ, ego neſcio vos. ipſe ergo reliquit omnia, primùm quidem cum factus eſt presbyter, omnes commoditates mundanas; ſed non contentus eo, monachus effectus eſt, neque Domino ſeruiuit quieſcens, ſed laborando, non ſolùm quia peregrinus, ſed quia & prædicator, & tribulationes patiens, non ſolùm pœnitentiam faciens orando, ſed & carnes ſuas macerando. danturne aſperi viuendi modi, quos videre cupias? hos aſpice in Hyacintho. vis patientiam? reſpice eum iniurias ferentem. vis ſcientiam? audi concionantem. vis humilitatem? conſidera habitum & actiones eius. vis labores? itinera propter dominum ab eo capta mente voluas. vis liberalitatem? intuere eum non comedentem totum, quod debet, vt pauperibus aliqua largiatur. quidquid vis, in illo tandem inuenies. & hæc omnia in familia-

S. Hyacinthi virtutes.

ritate Dei, quàm gratissima ipsi, apud altare Virginis moranti dicta, satis declarant; audi quàm dulcia;

Verba B. M. ad S. Hyacinthum

Gaude fili Hyacinthe, quia orationes tuæ gratæ sunt filio meo, & quidquid ab eo per me petieris, impetrabis.

Gaudij certè Hyacinthe causam habes, quia tibi statuæ factæ sunt vocales, neque vt statuæ gentilium, vt dicebat Dauid Psalmo 113. licet os habeant, non loquuntur, sed volente Domino linguæ marmoreæ mouentur, & posita, mirabile dictu, rigiditate, verba formant. Gaudeas ergo nam Dominum loquentem audis, & tantum legatum, quanta est Beata Virgo, gaudium tibi nunciantem habes; o fęlix amicitia Dei, quæ legatos amicis impetrat maiores illo, cui mittuntur; sed non solùm audisti, sed & forsan incompletè compræhensor factus, id est, maximo illo splendore tibi apparente, dominum cum matre sua vidisti; non minor Moyse, qui vidit dominum, aut Paulo, qui in tertium raptus est cœlum, Stephanoue, qui vidit cœlos apertos: gaude ergo, quia gaudij causam habes; quia dum vocat te filium

Visio excellentissima.

Mater.

Mater Domini, & iterum addit, filio meo, vno verbo te filium ſuum, & fratrem Chriſti appellat. iure quidem, namque ſi Chriſti mater eſt, quia eum nouem menſibus portauit in vtero; quare & tu filius eius non eris, & per conſequens frater Chriſti, cum te ſemper mater eius portauerit affectu, ſicut illum portauit effectu? nec solùm filium eius te vocabo, cùm etiam ſis filius Dei, ipſo dicente Eſaiæ 46. audite me domus Iacob, qui portamini ab vtero meo, qui geſtamini à me à vulua mea. pergit ſanctiſſima Mater dicens, Hyacinthe, quia tam pulchri nominis ſono, & tam amatæ rei nomine decantato, forſan & ipſa lætatur. ecce quare gratum nomen, quia orationes tuæ, dicet ipſa genitrix Dei, gratæ ſunt filio meo; & quare gratæ ſunt Deo? quia orationes filij ſui, quare tu gratus in orationibus? quia ſunt veræ orationes in cinere & cilicio factæ. Quare cum odorem ſuauiſſimum Domino, vt teſtatur Moyſes in Exodo, ſacrificia reddant, quodnam gratius Deo indicare debemus orationibus Hyacinthi? quia pſalmo 50. ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. tuas ò Hya- Oratio-nes San. Hyac.

cinthe

cinthe certè non despexit Dominus; & meritò tot orationibus tam piè & deuotè recitatis maximum præmium debetur: non contentus ergo æterno, etiam temporali suum sanctum vult honorare; & istum ostendit dicens, & quicquid ab eo per me petieris, impetrabis. meritò certè, nam ipse Christus di-
Cap. 7. xit apud Matthæum; petite & accipietis: ipse qui non remissè, vt alij, petijt, sed intensissimè, non solùm sibi impetrauit, nec solùm dicitur, omne tibi impetrabis, sed etiam alijs; & tandem, quidquid petieris, signum fuit: nam non solùm quæ conferunt ad salutem, sed etiam quæ ad commodum temporale, non solùm rationalia, sed etiam irrationalia impetrauit, amicis suis. clarum est in fructibus, quos tempestas & grando ita dissipauerat, & contuderat, vt homines præ mæstitia nihil aliud è pectore emittere possent, nisi voces Hyacinthum obsecrantes, vt restitueret, quod Dei iussu cœlum iratum abstulerat: ipse autem benignissimus in dictis omnibus orationibus, quasi alter creator, dixit, & facta sunt, iussit, & licet (vt vult propheta Psal. 148.) non creata fuerint tunc; tamen iussu & intercessionibus eius redinte-

grata,

grata, atque dicere audebo, diuinitùs in illum locum asportata. quare poterimus dicere, sicut dicit propheta Psal. 147. Deus mittit cristallum suam, sed Hyacinthus misit; emittet (dicit propheta) nos verò, emisit, dicemus, verbum suum, & liquefecit ea, emisit eloquium suum terræ, & velociter cucurrit sermo eius; protinus enim exauditus fuit. hoc idem patet etiam in vita boui restituta, quam mulier pauperrima amiserat, licet iam ferè dimidia excoriata esset, cùm summis precibus misera ab ipso contendisset Hyacintho hoc tantum beneficium: atque clarum est in equo, cui vita orante seruo reddita est: patet tandem, quia sexies irrationalibus, amicis & seruis suis orantibus, auxilio fuit. quia ergo nulli alij sanctorum scimus à Deo tam largas promissiones præsentialiter, vt Hyacintho accidit, factas esse, neque aliquem tam inusitata miracula edidisse etiam in minimis, ideo dicamus cum Ecclesia, non est similis illi: & quare non datur similis, audi Dauidem Psalmo 4. quia mirificauit Dominus Sanctum suum super omnes: quia licet æquetur alijs virtutibus à multis, hac certè orationum, quæ maxima est, à nullis æquatur.

S. Hyac. miracula multa.

Nemini secundus.

tur. propter ergo merita ſua tantis præmijs, non ſolùm æternis, ſed etiam tèmporalibus dignus eſt iudicatus, & à Deo mirificatus eſt, non ſolùm propter hæc, ſed etiam, quia tabernaculum Domini, id eſt Eccleſiam Domini ornauit. vt enim primùm natus eſt, & tyrocinijs puerilibus, præcipueque fide Chriſtiana fuit imbutus, ſtudio ſe dedit; atque deinde ſub auo ſuo, exemplum habens illum ſanctitatis ante ſe, omnibus virtutibus repletus fuit, & non ſolùm magiſtrum, & exemplar æquauit, ſed etiam multùm prætergreſſus eſt, quod illi Deus conceſſit, quia cognoſcebat ornamento futurum, & neceſſitati Eccleſiæ ſuæ: quod clariſſimum operibus ſuis fuit. namque vt primùm ſub Diuo Dominico monaſticam regulam Romæ eſt profeſſus, magiſtri ſui (cuius & ſocius erat) iuſſu diſcedens Roma, primùm quidem in Germaniam, deinde verò in Poloniam ſe conferens multas animas Domino venatus eſt, & Eccleſiam perſecutionibus liberauit hæreticorum, qui frequentes in illis regionibus erant, & non ſolùm ad veram methodum Chriſtianam duxit, ſed etiam ad ſtrictiorem monachalem vitam: & non ſolùm

Roma diſcedens Germaniã petit.

in

in Germania, in Polonia, in Bohemia, Septentrionalibus regionibus, verùm etiam in Orientalibus, voluit se exercendo seruos acquirere Domino suo. tactus ergo spiritu illo, qui vbi vult spirat, gratiaque Domini sui lætus, discedens è Polonia se contulit Orientem versus, & ibi ita se exercuit per quinque annos, vt multas gentes Deo conuerterit, & monasteria multa ædificauerit. quid de tot operibus eius ibi factis dicam, ignoro; si de omnibus loquar, nunquam non solùm sermoni meo, qui breuitatem requirit, finem imponam, sed nec etiam partem istam solummodo, non dicam, amplificabo, non declarabo, non narrabo, sed tangam. quare me ad vnum tantùm caput restringens, pertransiens curram miraculum quoddam in itinere factum; hoc autem fuit fluminis vnius transitus sicco pede, & illud nomine Vandalus dicebatur: ad quem cum venisset Hyacinthus, & absque nauigio inuenisset, se cum socijs orationibus dato, alijs ostendendo viam primus ipse, vt bonus pastor, capiens iter super flumen hortatus est socios ipsum transire, sed ipsi timentes renuerunt. quid timetis animo pusilli? flumen for-

Io. 3.

Transit miraculosè flumen.

ſan, quod naues, ſi quæ erant, fortaſſis fregit, vt dignum efficeretur tactu pedum ſanctiſſimi illius, non dicam hominis, non angeli, ſed Dei, quia minoraſti eum paulo minus à Deo dicebat Dauid Pſalmo 8. ſecundum Hebraicam lectionem. timetis aquas forſan, quas ſciebatis in miniſterium eius eſſe promptiſſimas, & quibus multoties ipſe, vt conſiſterent, imperauerat, & quam promptæ in ſeruitium eius eſſent, forſan antè cognoueratis in corpore illius iuuenis, quem à Raba occiſum, iuſſu Hyacinthi eiuſdem fluminis aquæ ſuprà tulerunt; beati vos fuiſſetis, ſi credidiſſetis videntes magnalia Dei, atque cum verbis ante noluiſſetis credere, ſaltem debebatis experimento, quod ipſe de ſe ipſo fecerat, fidem præſtare. ſed tamen excuſo vos, non enim tantæ fidei eratis, ſicut ille, qui tanta fide præditus erat, vt non ſolùm poſſet iubere montibus, vt mouerentur, ſed alia magis impoſſibilia facere, & quia ſcimus Moyſen, Ioſue, Eliam, & Eliſæum tranſiſſe quidem diuerſas aquas; ſed tamen diuiſiſſe illas, & ſuper aridam ambulaſſe, nec vndis quemadmodum Hyacinthus fecit ſe commiſiſſe:

Aquas cęteris modo excellentiori tranſiſſe.

ideo

ideo laudemus Hyacinthum, & ſuperexaltemus illum. attollant alij alios, nos rationabiliſſimè iſtum vel omnibus æqualem faciemus, vel ſuper omnes collocabimus: tranſiuit quidem & Maurus Abbas, & Diuus Franciſcus de Paula, ſed ille quidem magis deſiderio inſeruiendi motus, abſque periculi conſideratione, iſte verò fidens veſti, quod erat, ac ſi non propria fide erga Deum, ſed faceret fiſus ſanctitate eius, cuius habitum gerebat. ſed Hyacinthus etiam abſque veſtis auxilio ingreſſus eſt flumina, & pertranſiuit aquas periculi gnarus, & non ſolùm ſemel quemadmodum illi, ſed ter, quod ſciamus; primùm quidem Vandalum, vt diximus, deinde vero bis Boriſthenem tranſiuit. primùm quidem deſtructurus fanum diaboli, deinde verò liberaturus iconem Beatæ Virginis à manibus barbarorum, vt infrà dicetur. neque mirum eſt eum tanta feciſſe, namque non erat in domo Domini vas in contumeliam, ſed erat vas aureum & gemmatum, & hoc, quia ſe mundauerat ab omnibus huius mundi negotijs, ideoque fuit vas ſanctificatum Deo ad omnia opera patranda, 2. Tim. 2. auxilium enim eius à Domino Pſal. 120.

erat, qui fecit cœlum & terram; ideo non dedit Dominus pedem eius in commotionem, scilicet per superbiam ad ruinam, sed dedit motum ad ambulandum & proficiendum, & ascendendum montem illum, à quo venit auxilium, vel potiùs ad lucem, quæ montem illuminat. ò lepidi, ac limpidissimi pedes charitatis, quia humiles ad celsitudinem prouehitis, qui non solùm Hyacinthum ad montem cœli duxistis, sed etiam in sinum ipsius charitatis, ducite nos quoque ad eum de cuius plenitudine acceperunt montes, id est, Sancti: & tu Hyacinthe, qui charitatis amore, Dei fruitione post multa alia præmia lætaris, concede nobis, & fratribus tuis tuæ charitatis partem, vt digni simus præmijs tuis, & custodiamur à Domino, sicut tu, qui quia sperasti sub vmbra &
Psal. 35. tegmine alarum Domini, ideo scapulis suis
Psal. 90. obumbratus ab eo fuisti & custoditus: Deus
Psal. 120. enim fuit protectio tua super manum dextræ tuæ: quia cùm potestas quæ homini data est, vt inter filios collocetur Dei, sit manus
D. Aug. in hunc Psalmũ. dextræ suæ, ideo ipsa potestas, quæ maxima fuit in Hyacintho, protecta fuit à Domino, quia semper mirificauit Dominus sanctum

suum,

ſuum, cuſtodiuitque ab omni malo animam eius: cuſtodiuit introitum in vitam hanc, quia protinus ſaluus per aquam Baptiſmi eſt factus, & exitum eius, quia pretioſa in conſpectu Domini fuit mors eius. cuſtoditus fuit in introitu ciuitatis, quia propter magnam miraculi famam tota pene ciuitas in iubilatione eum recepit, & in exitu carus illis & non inimicus exiens. quare neque ſol per diem eum vſſit, neque luna per noctem: licet enim multi inſurrexiſſent in eum, nullus tamen præualuit: & hoc, quia elegit cuſtodem non dormientem, neque dormitantem, ſcilicet Deum. factus enim fuit Hyacinthus Iſrael, id eſt, homo videns Deum (ita enim Diuus Hieronymus interpretatur hoc verbum) videns quidem primum per fidem, vt dicit D. Auguſt. in Pſal. 120. & quia hanc fidem viuificauerat per opera (quia ſine operibus fides mortua eſt) ſecundò dignus iudicatus eſt, vt etiam per ſpeciem eundem Chriſtum videret, & ſi non in hoc mundo perfectè, ſaltem perfectiſſimè in patria. Quia ergo tam excellens homo ad te venit, lætare vrbs Viſogrodis; illuminabit enim partes tuas ſol, quia ad te

gra-

Cap. 5o. Cant. graditur; vide eum candidum propter virginitatem, quia niue candidiores Nazaræi eius, Trenarum 4. & rubicundum propter charitatem, quæ est ignis rubicundus; vnde Matth. 14. refrigescet multorum charitas; & Cant. 8. aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem: & verè flumina tribulationum, & persecutionum, quas ibi passus est Hyacinthus, non potuerunt obruere charitatem eius: ideoque candidus & rubicundus fuit. vide caput eius aurum optimum, quia per multas tribulationes quasi per ignem fuit examinatum: probauerat enim illum Dominus, sicut dicit propheta, & igne examinauerat eum, nocte scilicet, per ignem persecutionum in nocte tribulationum, ideoque comæ eius effectæ sunt sicut elatæ palmarum; nam semper in omnibus pressus sicut palma surrexit. quare cum
Psal. 90. torcular, quod Christus calcauit, & ipse calcauisset, atque de torrente tribulationum in via bibisset, propterea exaltauit caput suum: quia magnus effectus est. nigræ sunt comæ eius, quasi coruus: quia vestis nigra, quæ super caput eius est mortem Domini annuncians & humilitatem eius ostendens, deco-

rat

rat caput eius nigrum ſicut tabernacula Cedar, vel pelles Salomonis, quæ nigredine, qua ſe pulchram confitetur ſponſa, præditæ, templum Salomonis & Dei ornauerunt. Oculi eius ſunt ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum lacte lotæ, & reſidentes iuxta fluenta pleniſſima: nam ſcientia illius (quæ in oculis ſignificari ſolet) candida quidem eſt, & humilis, ſed tamen pleniſſima gratia; quia erat lex immaculata Domini conuertens animas ſeruorum eius. Genas illius vide ſicut areolas aromatum conſitas à pigmentarijs; quia verba, quæ auxilio genarum fiunt, maximè ſunt odorati exempli, & odoris dulciſſimi, haud ſecus, quàm quodlibet aroma; & ſicut ſponſa, poteſt dicere anima eius, odorem dedi ſuauitatis ſicut myrrha electa, nam in verbis ſuis odorem ſuauiſſimum de ſe dedit, Domino ſe ſeruum oſtendendo; namque Sancti, teſte Diuo Paulo 2. ad Cor. 2. Chriſti bonus odor ſunt; & ad illum gentes conuertendo. quare Dominus odoratus eſt odorem ſuauitatis operis illius, atque populi moti ſunt operibus illius, quæ charitatis odorem ſuauiſſimum redolebant. Labra illius lilia diſtillantia myr-

Cant. 1.

Pſal. 18.

Pulchritudo San. Hyacinthi.

Gen. 8.

rham

rham primam, quia quasi nouus Iohannes Baptista, aut alter Ionas, clamat dicens; pœnitentiam agite. pœnitentiam ergo quia loquitur & indicit, quæ primo amara est quidem, sed tamen odorata, myrrham distillare dicitur. cum enim sit holocaustum Domino pœnitentia, Psal. 50. ipsum holocaustum & victima Exodi 29. & Leuitici 8. & Num. 15. odorem suauissimum Domino reddunt. manus eius tornatiles sunt plenæ hyacinthis, quia ipse Hyacinthus est pulcherrimæ virtutis splendore ornatus, & ita ornant illum opera sua, id est manus rotundę & tornatiles, id est in proximi vtilitatem semper paratæ. quia semper pro proximo suo laborauit: & quia ipse se mundauit à malis, ideo se reddiderat vas ornatum & aureum; propterea etiam proximum suum, emundando illum ab infidelitate, per fidem tale vas reddere cupiebat. quare manus illius tornatiles fuerunt in proximum, & rotundæ & plenæ hyacinthis. nam gemmis lucentibus & rubeis charitatis semper fuerunt ornata opera eius. venter eius eburneus distinctus zaphyris, quia profunditate rerum sanctarum & arcanis sapientiæ Dei plenum fuit cor eius: my-

sterium enim Domini, quod absconditum est à sęculis & generationibus, non est agnitum, sicut in prædicationibus factum est Sanctorum Christi, quibus reuelatum fuit teste Diuo Paulo ad Ephesios 3. Crura illius sunt columnæ marmoreæ propter firmitatem fidei, & constantiam, & fortitudinem in tribulationibus, in quibus vincens malignum, quia verbum Dei erat in eo fortissimè gessit se: quia cùm sapiens esset, & fortis erat, Prouerb. 14. cuius bases erant aureæ, quia fortitudinis eius fundamentum, quod erat dilectio, fortissimum & probatissimum erat: vnde Cant. vlt. fortis vt mors dilectio. Species eius, sicut thus, quia sicut aroma illud sacrificatur Deo, ita Hyacinthus corpus suum, & omnem humanam pulchritudinem relinquens propter Deum sacrificabat illam Domino pro peccatis suis & populi sui. vnde propter pœnitentiam poterit sicut Paulus dicere; quotidie morior propter vos. Electus vt Cedri, non enim animam eius imbutam lege Domini, iustum erat dare canibus, Psal. 73. neque conueniens erat Sanctum Domini videre corruptionem, nec ante porcos decebat Chri-

1. Ioã. 2. B 14.

 stum

ſtum mittere gemmas ſuas. quia ergo mortem non vidit anima ſua, ideo ſicut cedrus non corrumpitur, ita ipſa non eſt corrupta. Guttur tandem eius dulcedo eſt, namque quid dulcius ſermone eius, quo potuit rabidas tyrannorum mentes humiles reddere & placidas, conuertereque animas eorum, qui callum obduxerant in malo, à vijs ſuis peſsimis, atque eo vincere diabolum, cuius ſapientia angelica eſt? ſed ipſe adiutus ſumma ſapientia perſuaſit populo diaboli, vt populus Dei fieret; cum diabolus illos retinere verbis ſuis in ſeruitute ſua non potuerit: & quia Pſal. 18. iudicia eius erant vera, iuſtificata per ſemetipſa, pretioſa ſuper aurum & lapidem pretioſum multùm, & dulciora ſuper mel & fauum; ideo illos, licet magis aſſuefactos aſſentiri verbis diaboli, fecit clamare, dulcia gutturi noſtro eloquia tua ſunt ſuper mel ori noſtro, à mandatis tuis intelleximus, propterea odiuimus omnem viam iniquitatis. Concludamus tandem quòd totus eſt pulcher, totus deſiderabilis, totus amabilis, deauratus intus & foris propter virtutes: ideo non ſolùm Eccleſiæ, sed & ſibi eſt ornatus: nam ſi taberna-

Pſal. 118.

naculum Dei, id eſt Eccleſiam, ornauit, per opera eius ornauit, & ſe ipſum, ita vt poſſimus dicere, ſpecioſus forma præ filijs hominum; quia non eſt ſimilis illi, canit Eccleſia: aut excellere omnes filios hominum dicamus pulchritudine, quia ipſe non eſt filius hominum, ſed Dei; vnde Dauid Pſal. 26. pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me; & Dominus apud Matth. iam vobis nolite vocare patrem ſuper terram (ad electos autem ſuos loquitur) vnus enim pater veſter, qui in cœlis eſt. ſpecioſus ergo forma præ filijs hominum es, ò Hyacinthe ſancte, & diffuſa eſt gratia in labijs tuis; quia non eſt ſimilis illi in oratione, quæ fit per labia: ideo conuenienter dicamus, diffuſa eſt gratia in labijs tuis, ſcilicet gratia orationum; propterea benedixit te Deus in æternum, æterno enim præmio ipſum decorauit: quia & ipſe ſe ipſum ornauit, vt tabernaculum pulchrum cor ſuum efficeret Deo. de iſto poſſumus dicere, ſed in lege Domini cor ſuum, quia die, ac nocte cogitabat de Deo. ornauit ſe ipſum ita, vt poſſimus dicere, iſtum eſſe omnium bonorum epilogum: & verè venter

Pſal. 44.

Pſal. 1

E 2 eius

eius pyxis eburnea distincta zaphyris. si Adam propter immensam pœnitentiam post peccatum actam laudatur: quanto maiori laude dignus est Hyacinthus, qui licet grauibus peccatis non esset inquinatus, tamen assiduè in orationes & pœnitentiam incumbebat? si extollimus Abel, quia sacrificium gratissimum Deo offerebat: quanto rationabilius extollemus orationes Hyacinthi gratissimum sacrificium Domino? ascendebant enim sicut incensum in conspectu Domini, neque ipse offerebat boues, aut pecudes, sed Domino se ipsum quotidie immolabat. & non solùm se ipsum, sed & totum mundum pœne Deo sacrificare studuit, vt scilicet operibus suis odorem sui Domino etiam gratiorem odore sacrificij daret. miramur Noe familiaritatem cum Deo, & quod arca sua progeniem humanam, & omnia animalia seruauerit: sed iste familiarissimus Deo reuelationes quotidie recipiebat vel ab ipso, vel à matre eius, & non solùm se ipsum, sed & illos qui non solùm non erant de familia sua, sed quos nunquam viderat (licet essent fratres in Domino) liberauit à dentibus diaboli, & eorum, qui erant

Laudibus efferẽdus.

Dauid.

Psal. 104.

mini-

ministri eius: & iste miluos & vultures per prædicationem reddidit columbas, cùm Noe corui feritatem mutare non potuerit. pietatem & liberalitatem Melchisedech extollimus, quòd panes Abrahæ obtulerit: sed rationabiliùs fortasse in cœlum vsque attollemus Diuum Hyacinthum, qui defraudabat os suum cibo, vt daret pauperibus. miramur Abraham & eius obedientiam, quod primo Dei iussu domum & cognationem suam reliquerit, atque filium suum Deo ita volente sacrificare non abnuerit: sed maiori admiratione dignus est Hyacinthus, qui non solùm propter Dominum vrbem & cognationem suam reliquit, sed & commoditates, atque diuitias omnes, nec non mundum ipsum: & iste non filios suos tantùm, id est opera sua, sed & se ipsum sacrificauit multoties Deo. patientia Isaac multis laudibus digna existimatur, quòd puteos à se factos obstrui siuerit: sed iste non minus extollendus, quia non solùm sibi, sed & alijs puteos dantes aquas misericordiæ Domini ligone pœnitentiæ & prædicationis fodere semper studuit; atque persecutiones studentes istos puteos obstruere patienter tulit,

cum calamitatibus, quas illi afferebant. Patientiam similiter Iacob miratur ſcriptura, quòd ſeptem annos Laban pro ſponſa ſeruierit: ſed quænam eſt illa adamantina anima, quæ Hyacinthi patientiam poſſit imitari? neque enim per ſeptem annos, ſed per totum vitæ ſuæ curriculum non ſolùm æſtum diei, & frigus noctis, ſed & tentationes & preſſuras corporis tulit, & multis modis ipſum macerando, ſe in patientia ſi non ſuperiorem, ſaltem æqualem Iacob conſtituit. Ioſeph pudicitiam omnes extollunt: ego autem ineptum exiſtimo de pudicitia ipſius tractare, quæ quanta fuerit, omnibus manifeſtum eſt. Iob omnes homines prædicant, athleta enim maximus fuit: ſed multo magis hunc prædicabimus, non enim per aliquot menſes, ſed per totum vitæ ſuæ curſum paſſus eſt multas tribulationes, & corpus ſuum ſemper affligendo, haud ſecus quàm Iob, ægritudines patiebatur: ſed tamen ea differentia, quòd quæ Iob corpore, iſte & corpore & mente paſſus eſt. tribulationes enim aduerſariorum, atque eorum, qui liuore affecti ipſius operibus inuidebant, dentes multoties paſſus eſt, & hæreticorum, dum ſtude-

bat

bat destruere ipsorum leges. Iob de substantia sua succurrebat pauperibus: hic autem nihil amplius corpore suo possidens, de hoc sufficienter indigentibus ministrabat; & sicut Paulus poterat dicere necessitatibus meis, & his, qui mecum erant ministrauerunt manus istæ. Moyses pro Iudæorum salute deleri elegit de libro: sed iste non cum pereuntibus perire voluit, sed sibi salutem acquirens, & alijs impetrare studebat. ille Pharaoni pro vna gente obstitit; iste pro vniuerso orbe diabolo quotidie repugnabat. mirantur pœnitentiam Dauid omnes, ac bona opera: sed iste non peccauerat grauiter, & tamen quotidie incumbebat in pœnitentiam. Sed vbi reliqui Gedeonis fortitudinem, qui liberauit populum Israel à seruitute inimicorum ejus, signumque ipsi datum, nec non vires Samsonis, & robur Iosue? quę licet multùm à scriptura exaltentur, non tamen maiores fortitudines ipsorum dicam Hyacinthi robore. iste enim non pugnauit contra homines, qui impotentes sunt respectu angelorum, sed contra angelos rebelles Dei, atque diabolos humanæ naturæ hostes: quod rectè ostendit Petrus in prima

sua

ſua canonica dicens, quia aduerſarius veſter diabolus, hicque notans inimicitiam; tanquam leo rugiens, & hic fortitudinem; circuit quærens quem deuoret, hic verò ma-
Iud. 10. lignitatem. & ſi Ioſue habuit ſignum ſolis, qui diem immobilis remanens longiſſimum eſſe dedit: & Hyacinthus ſoli non apparenti iuſſit, vt appareret, nubes fugaret, terram foueret, & diſperſas ſegetes, quas reſtituerat, vt conſolidaret. cum tamen prius grandini, vento, & pluuiæ vires, vt dictum eſt, abſtuliſset. & ſicut ille ſignum illud requiſiuit à Domino, vt inimicos ſuos priuaret vita, atque quinque reges occideret: iſte ſimiliter, vt poſſeſſione ſua diabolum priuaret, ſcilicet populis ei inſeruientibus, ſignum hoc & multa alia operatus eſt, namque boni illo miraculo confirmati ſunt, atque mali à vijs ſuis peſſimis declinauerunt ambulando in vijs Domini. & ſicut poteſtas Domi-
Iud. 10. ni auxilio fuit Ioſue, quia lapides de cœlo in hoſtes ſuos in auxilium Iſrael miſit, ita Hyacintho miracula, quaſi lapides, à poteſtate Dei conceſſa ſunt, vt oſtenderet Deus potentes & fortes ſpiritu, atque corpore, mente
Cant. B. Vir. eſse infirmos & debiles: quia depoſuit potentes

tentes de ſede & exaltauit humiles.& è contrario,vt etiam declararet non defuiſſe infirmitati corporis,atque humilitati mentis non deeſſe potentiam, quod etiam oſtenderunt miracula Chriſti, & non ſolùm illa quæ ipſe in hoc mundo operatus eſt, dum tribulationes & ipſe hic patiebatur, vt homo; ſed etiam illa, quæ per ſanctos ſuos operari voluit. quòd autem miracula ſint lapides, patet; quia cum lapidibus ædificemus teſtatur Diuus Auguſt. ſermone 11. in Matth. Chriſtum per miracula viſibilia, fidem eorum, quæ non videbantur, ædificaſſe: cum ergo Hyacinthus effectus fuiſſet Paulus, vt præcipitur apud Matth. 18. ideo magnus effectus eſt in regno cœlorum,& tantis gratijs dignus. Similiter eum æqualem Samſoni conſtituemus: ſi enim ille in mandibula aſini mille viros occidit; iſte multò plures homines necauit. cum enim regionis illius viri ſequerentur humana,atque à diuinis ſe elongaſſent, & per conſequens inimici Domini facti eſſent, & ſerui eius Hyacinthi; ipſe, quod odio habebat in ipſis, occidit, & hoc in mandibula mortui aſini: cum enim aſinus labore continuo affectus laborem teſte Pie-

D. Aug. ſer. 29. de verbis Apoſt.

Miracula lapides.

 rio

rio significet, quod etiam sacri interpretes volunt, & cùm mandibula comedat asinus, & hæc esset mortuæ bestiæ os; ideo significabatur, laborem peccatorum, quo ipsi saturabantur (quia teste propheta prodierat quasi ex adipe iniquitas eorum) mortemque dissipatam & ablatam ipsorum nimiam terrestreitatem humanam mortuamque redditam. Hyacinthus enim, vt clariùs dicetur ostendendo ipsos laborare, & effugando peccatorum laborem viuificauit eos; quia mortem, id est, peccatum & diabolum, fecit relinquere, & vitam, id est, Christum, qui est via, veritas, & vita, sequi. quod si Samson multò plures moriens occidit, quàm fecerat viuens; iste similiter moriendo ita bonos in vijs suis confirmauit per verba sua sancta, & per miracula facta, & malos à peccatis auertit, vt possimus rectè dicere, multa mala occidisse, & multos inimicos suos, haud secus
Iud.16. quam Samson, quando columnas, quibus tota imminebat domus Dagon diaboli mendacis, deiecit. adde quod Hyacinthus occidendo inimicos viuificauit fratres & amicos, quod de Samsone factum non legimus.
Iud.6. Si Gedeon vidit angelum Domini, atque

signum

ſignum velleris ab eo habuit, & propterea deſtruxit aram Baal, atque liberauit populum probatum bis apud aquas à Madian Principe, atque viros Soccoth cum tribulis deſerti comminuit, & turri Phanuel deſtructa, habitatores vrbis trucidauit: ita Hyacinthus cum Domino locutus eſt, & matre eius non ſemel, ſed multoties, & ex verbis eius non vnum ſignum habuit, ſed multa: licet primis verbis Domini, quòd liberaturus eſſet populum ſuum à Madian, id eſt à diabolo, ipſe non infidelis credidiſſet; quod experientia ſatis clarum fuit. probato enim populo primùm per vocationem, deinde verò per aquas, hoſtem ſuum paucis vicit: namque ſocios ſuos, id eſt monachos, quos non cognoſcebat, timidos recepit, probauit: & ſecundò quoſnam electurus eſſet ſocios prædicationis & laborum per aquas ſumendi modum, quia quos vidit maiori cum labore erectos ad Dominum, & non ad terram carnis huius, quæ puluis eſt & in pulueρrem reuertetur, aquas ſapientiæ diuinæ, quod eſt ſeruire Deo, non ſolùm lambere, ſed etiam hauſtu magno ſumere, hos elegit, atque vt probatos recepit: qui omnes dein-

Iud. 7.
Iud. 8.
Ratio ſociorũ eligendorũ.
Gen. 3.
Pſal.

de vel sancti clarissimè sunt habiti, vel tales saltem existimati: frater Ceslaus inter hos collocabitur, Beatus Benedictus Prusiæ præfectus, nec non Meinardus, atque Vitus, alter Liuonum, alter Lituanorum præfectus, cum multis alijs quos enumerare nimis longum esset. his ergo fretus socijs, sed magis diuina gratia Hyacinthus, tuba prædicationum inclamante, lucerna miraculorum, atque gratiæ diuinæ splendorem emittente, nec non lagena repræhensionum strepitum edente, diabolum adortus est atque vicit: postea vero viros Soccoth, id est carnem, cum tribulis deserti, id est pœnitentia & laboribus comminuit, quia humiliauit eam: atque turrim, id est fastum mundi, destructa Phanuel, id est victo eo deiecit: vel dicamus eum vicisse Madian, id est auaritiam, quia in diuitibus solùm auaritia apparet; namque Ecclesiast. 31. laborauit diues in congregatione substantiæ: vnde Apo. 18. qui diuites facti sunt ab ea longè stabunt; diuites enim teste B. Maria dimittuntur à Deo inanes. percussit ergo Madian diuitem significantem auaritiam, Sòccoth id est carnem, atque Phanuel id est superbiam: omne enim quod

est

est in mundo, vel est concupiscentia carnis, vel concupiscentia oculorum, vel superbia vitæ, teste diuo Iac. in prima sua canonica. si miremur Ezechiam, Iosiam, & alios reges Ierusalem qui ambulauerunt in vijs Domini, quibus data sunt signa multa per prophetas: quare non mirabimur Hyacinthum etiam, qui locutus est cum Domino à facie ad faciem, & cui non per prophetas, sed per Virginem Sanctissimam, vel Dominum ipsum data sunt signa? quod si ipsi, quemadmodum & Esdra, & multi alij populum Domini liberauerunt ab hostibus: iste similiter compedem seruorum diaboli soluit, catenas fregit, & carceres patefecit, vt Dominus comitari posset à seruis suis. Christus in terra existens, & cum hominibus conuersans laudauit Ioannem Baptistam, cibum enim locustas & mel syluestre habebat, & multa pœnitentia vsus fuit propheta ille parans vias eius, vt testatus est Zaccharias in cantico suo; sed istum laudat Deus gloriosus, non in mundo laborans, sed in cœlo gloriosum obiectum beatorum, per matrem suam, quæ illum appellat filium: quia iste in medio mundi strepitu, sicut ille

Maxima dignus admiratione.

in

in eremo, quietè verſatus eſt, & cibo multò viliori contentus, maiori pœnitentia vſus eſt: & iſte, ſicut Ioannes Baptiſta, per prædicationem non ſolùm vias Domino parauit, vt Chriſtus ingrederetur, ſed per eas à ſe ipſo paratas, ipſe Dominum tulit verbis ſuis, & ſeruos ſponſo animæ ſuæ acquiſiuit, & hæreticos multos atque infideles, hoſtes non peiores Herodiade, habuit, qui perſequentes eum multùm iniuriati ſunt, licet non occiderint. quid reliquum eſt aliud, niſi vt angelis eum comparemus? Dauid verò in eis miratur potentiam; vnde dicebat, potentes virtute facientes verbum eius, & alibi, qui facit angelos ſuos ſpiritus & miniſtros ſuos ignem vrentem: ſed in iſto potentiam inueniemus; quia vt dicebat propheta Pſalmo 44. propter veritatem & iuſtitiam deducet te mirabiliter dextera tua; & inferiùs, dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ; oleo verò fortes vnguntur. ſimiliter
Pſal. 1. etiam fecit verbum Domini, quia non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit; & eſt tanquam lignum plantatum ſecus

fon-

ſontes aquarum, quod dabit fructum ſuum tempore ſuo, immo & dedit, nam irrigatus aqua gratiæ Domini fructum dedit ſanctitatis. fuit etiam ſpiritus & ignis vrens, quia ſicut ignis conuertit in ignem illud in quod agit, ita amor Dei, quo totus iſte flagrabat, ita eum vſſit, vt & ipſe ignis vrens eſſet. dicamus ergo iſtum angelum eſſe, ſicut enim angeli reuelationes Dei minores habent, ita iſte plurimas à Deo habuit; & præcipuè cum mater Dei allocuta eſt illum, vel de ſententia, vel iuſſu filij, vel cum iuſſu eorum corpus Chriſti & ſtatuam marmoream immenſæ magnitudinis & ponderis per medios hoſtes tulit illæſus, atque flumen pertranſiuit ſicco pede, in cuius fundo tamen ſancti veſtigia, ita volente ſponſo animæ illius, reman ſerunt. mirantur multi Petrum, quod ſecu- Matt. 14.
tus ſit Chriſtum per mare gradientem iuſſu eius, ſed iſte multis grauioribus quàm corporis ſui ponderibus libratus, non timens neque aquæ, neque hoſtium, neque ponderis, quod gerebat, pericula, graditur ſuper aquas, graditur ſuper flumina, & furioſos torrentis curſus non timens, currit. & meritò quia Dominus aſſumpſerat eum: pa-

ter enim meus & mater mea, dicit Dauid
Angelos, Archangelos &c. egregiè imitatus est.
Psal. 26. dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. ò miraculum stupendum, ò opera admirabilia, ò virtutes Dei verè brachij Domini fortis; & iustè de eo dicetur, quod dicit propheta, lætabitur in virtute
Psal. 81.
tua rex, nam serui Domini filij excelsi omnes & reges sunt. lætatus est Hyacinthus in mirabilibus Dei, quia rex erat & filius excelsus, & quia mirabilia magna solus facis Deus in Sanctis tuis. rex erat autem sensuum suorum, quos regebat ratione; vicerat enim spiritum contradictionis, quem nos habere in carne nostra testatur Apostolus. filius excelsus erat, quia filius Dei, patrem enim in cœlis Deum habebat, quia iustus erat, & tales Christi sunt mater & fratres, vt est apud Matth. cap. 12. Non solùm autem angelus, sed & archangelus erat, atque inter principatus collocandus; sicut enim hi prouinciarum & regnorum, illi verò regum curam habent, ita iste curam gerebat non solùm totius Septentrionalis regionis, sed etiam Orientalis, immo totius pœne orbis terrarum, per quem ipse discurrens, vel per socios suos circundans, vel præparauit, vel

con-

conuertit Domino. & non solùm infimam plebem initiari baptismo voluit, sed etiam multos viros primarios, vt magnum ducem Lithuanorum Mendegonem, Seutopelcum ducem Russiæ, Colomanum, & Salomea duces, nec non reges Alicæ, multosque alios quos prætermitto. religionis præterea & corporis sui rationem tam magnam habebat, vt verus vineæ Domini cultor, verus pastor, & verus mercator, & talentorum Domini exercitator iure nominaretur. Potestas dici potest; nam sicut illæ dæmones cohibent, ita iste non solùm cohibuit, ne nocerent, aut possessionem haberent in seruis Domini, sed & postquam, ita ferente Deo, hominum corpora habitacula sibi fecerunt tenebrosa, & Dominum propter peccata nescientia, in chamo & fræno, vt dicebat propheta Psal. 31. maxillas eorum constringens, fecit post liberationem, vt non appropinquarent ad eum. quare ipsi pertimescentes chamum orationum ipsius, & fręnum meritorum eius, sedes proprias vix inhabitare audebant, nullas autem alias sibi vsurpabant; ipse enim liberatus de lacu venantium, & à decipula quam teste Iob te- Psal.9.

tenderat diabolus, quia & in Domino confidebat, & ideo non confundebatur, & in adiutorio altissimi habitabat, ideo scapulis Domini obumbrabatur, & scuto eius circumdabatur. propterea iure à timore nocturno & diabolico non timens, non solùm se defendebat, sed & alios liberabat, &
Cant. B. M. V. imitabatur Dominum suum, qui faciens potentiam in brachio suo dispergebat superbos mente cordis sui, diabolos videlicet, qui propter superbiam à Domino defecerunt; & exaltauit humiles & infirmos filios & conseruos suos auxilium eius implorantes. Virtutum chorum etiam & Dominationum inhabitare credere debemus, quia sicut Dominationes inferioribus quod Dominus vult, committunt, virtutes verò miracula facientes exsequuntur; ita ipse iubebat membris suis, quod Dominus per ipsa facere volebat, & illa citò mirabilia faciendo omnia exsequebantur. exsecutæ vos estis manus voluntatem Domini per signum crucis, quod fecistis eijcientes dæmonia: exsequuta es tu vox sæpe factoris tui præcepta, per verba mortuis vitam impetrans: executa es tu anima & sponsi tui vocem, dictans

verba

verba & conceptus ad facienda mirabilia magna: exequuta tandem estis omnia ipsius quidquid redemptor gubernatoris vestri, id est animæ illius, & omnium fidelium imperauit. propterea non solùm ipsum dominationem, sed thronum Domini appellabo; in eo enim, vt vidimus, posuit Deus sedem suam, & tabernaculum suum eum sibi fecit. & quia in sole posuit tabernaculum suum Dominus, ideo ipsum solem appellabimus; sicut enim sol & illuminat & calefacit terram, ita ipse eijciendo tenebras diabolicæ legis multos populos per angelicas traditiones illuminauit, & amore diuino inflammatos reddidit. Cherubinum etiam ipsum vocabo, quia sicut illi scientissimi sunt, ita iste tanta scientia præditus fuit, vt illum non dubitem cum Martino Cromæo lib. 7. de rebus Poloniæ & Fratre Antonio de Senis Lusitano vocare prophetam. tantas enim & tam crebras reuelationes à Deo habuit, vt scientiæ illius modum non fuisse credere possimus. Seraphin etiam propter amorem Dei, quo flagrabat & ardebat, & alios ad Deum incendebat, vocare non dubitabo. dicam Patriarcham, quia pater multarum

gentium fuit, sed non pater carnalis, sed spiritualis. & sicuti anima corpus gubernat, ita tanto rationabilius eum Patriarcham vocabo. dicam prophetam, non solùm authoritate virorum illorum grauissimorum fultus, sed etiam experientia ipsa coactus, multa enim prædixit, quæ nemo cognoscere nisi per reuelationem diuinam poterat. inter quæ, vt alia prætermittam, memoria digna est promissio, quam matronæ cuidam filios suscipere non potenti, de masculinę prolis generatione fecit ex reuelatione diuina: Dicere etiam ipsum audebo Apostolum, namque sicut ipsi ideo ita dicti sunt, quia missi sunt ad diuersas gentes, vt prædicarent; ita iste non vnam tantùm sed multas & infinitas pœne regiones ambiens verbumque Domini prædicans martyrium desiderans exposuit Christi legem, & infinitas difficul-
Luc. 13. tates vincens, circa ficum Domini, quæ antè fructum non faciebat, terram peccatorum, ligone repræhensionum & laborum fodit, & stercora prædicationis circa ipsam mittens, fructiferam reddidit. quare cum Dominus ipsam extirpare, & in ignem mittere vellet, conuersus est & faciem in eam vertit, &

per intercessionem serui sui misertus est eius, & quos odio habebat propter peccata, vtque hostes & præuaricatores legis suæ punire volebat, in seruos & filios recipiens, gloria & honore coronauit eos. nouum etiam Euangelistam prædicabo, quia fecit opera Euangelistæ, vt Timotheo iubet Paulus 2. Tim. 4. sicut enim illi euangelizantes populis omnibus vitam Domini, qui propter nos carnem assumpsit, & annunciantes miracula eius, acta Christi omnia conscripserunt; ita iste indefessus non cognoscentibus legem Domini omnem vitam Christi ipsis annunciauit, & mandata ipsius exponens seruos frugi Domino parauit. Dicam etiam martyrem si non opere, saltem desiderio; namque licet gladio vitam non finierit, non est tamen, quod multas tribulationes, quas mortes vocare non dubitabo, passus non sit, martyriumque ita desiderauerit, vt etiam quęsierit. & pręterea si martyr etiam dicitur, quia testis est diuinitatis & sublimitatis Christi, qui vires dat illis ad perpetienda ea, quibus conflictantur: ita iste multa testimonia de Deo perhibuit, non solùm verbis, sed factis etiam, ferens

ſcilicet tribulationes, neque horrens minas tyrannorum, ſed omnia virtute ſua diſſipans, vt verus martyr dici poſſit. inter virgines autem collocat ipſum continentia & caſtitas ſua; inter pœnitentes labores pro Deo habiti. & bona coniugatorum dicere eum virginem habuiſſe non erubeſcam; namque ſicut coniugati habitationes in cœlis ſibi præparant, quia ſeruos Domino generant; ita iſte calore amoris diuini multos ſeruos, vt diximus multoties, acquiſiuit Domino, & ipſos nominans poterat cum Diuo Paulo dicere; filioli, quos ego parturio. & ſicut coniugati domum ſuam in iuſtitia concordes gubernantes ſe charos Domino reddunt; ita corpus & anima ſolis iſtius concorditer ſeruiebant Domino, ita vt neque caro, quæ vt vxor ſe habebat, ſpiritui contradiceret, neque ſpiritus carni; ſed ſpiritus carnem regens, habebat vxorem ſuam adiutorium, quo ſcilicet adiuuabatur ad bona ſibi inuenienda; anima enim noſtra meretur dum eſt in corpore, ſed diſſoluto iſto neque mereri, neque demereri poteſt. compendium ergo omnium bonorum ipſum appellantes laudemus eum, & exultantes in

nomi-

nomine eius pſalmum dicamus virtuti eius, quia anima eius fuit ſicut ſponſa ornata viro ſuo, quæ benedictionibus Domini plena fuit. cantate ipſi canticum nouum, quia mirificauit Dominus ſeruum ſuum, ſanauit Domino dextera eius, & brachium ſanctum eius. brachium enim correctionis fraternæ, in quo fecerat Deus potentiam faciendi mirabilia, atque dextera miſericordiæ eius & amoris, quem in proximum habebat, operabantur mirabilia & ſanando Domino gentes multas à peccatis eas ſaluabant. ſanabatur omnis qui credidit in Deum, & quia ſanabantur Domino, ideo intus ſanabantur. non enim erant ſicut illi, qui ſanitate laſciuiunt, & cum ægroti neminem læderent, humileſque & caſti eſſent, ſanati pauperes opprimunt, ſuperbique & adulteri fiunt. iſti verò ſanati interiùs in nouum hominem reformabantur. notum fecit ſalutare Domini in conſpectu gentium, & iuſtitiam eius reuelauit: quia prædicans infidelibus, adducendo timorem iuſtitiæ Domini, fecit ipſos fermentum vetus, vt dicit Apoſtolus, deponere, & nouum hominem aſſumere. iubilate ergo ipſi omnis terra, cantate & pſallite:

pſal-

psallite non voce sola, sed assumite & opera, & canite in cythara & psalterio, cantate in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ. & sicut tubæ æreæ & ductiles tundendo & vapulando fiunt, ita nos tribulationibus Dei affecti & contusi, imitantes Iob, non vt volebat vxor eius, maledicamus Domino, sed vt ipse Iob faciebat, benedicentes ei psalmum dicamus nomini eius, & laudemus eum in Sanctis eius, & præcipuè in seruo suo, qui non solùm se ornando tabernaculum Deo parauit, sed etiam ornando vestem sacerdotalem. vt autem videamus quomodo à Sancto nostro ornetur sacerdotalis vestis, videndum primùm quæ sit ista vestis, relinquentes verò multas expositiones diuum tantùm Augustinum & Hieronymum considerabimus, & eorum expositiones accipiemus; vt autem sciamus sacerdotem, qui induitur hac veste, audiamus Dauidem psalmo 109. dicentem Deo, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. vestis verò Christi dicitur esse caro, teste Diuo August. lib. de essentia diuinitatis circa finem. vnde Esaiæ 63. dicitur, quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de

Secunda pars.

Quæ vestis quã quærit.

Bosra,

Bosra, Apostoli etiam dicuntur esse vestimenta Christi, vt idem testatur August. in Ioannem; & Diuus Hieronymus in Esaiam, sanctos esse vestimenta Dei similiter vult. & 3. ab eodem habemus commento psalmi 97. quod gentes sunt vestimenta Dei: vnde etiam hæreditas appellantur, dicente propheta psalmo 20. & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. videamus ergo quomodo noster iste aduocatus ornauerit carnem humanam, Apostolos & Sanctos, atque tertiò ipsas gentes. prætermitto enim declarare quomodo ornauerit Ecclesiam Domini, vt dictum suprà, immo necessarius pene fuerit illi; ipsa enim etiam vestis Dei dicitur, quæ per fidem & dilectionem ei coniuncta est; teste August. libro de essentia diuinitatis. vnde scriptum est psalmo 92. Dominus regnauit decorem indutus est, & in 103. psalmo ad ipsum Dominum, confessionem & decorem induisti amictus lumine sicut vestimento, vnde Paulus scribens ad Ephesios 5. inquit, fuistis aliquando tenebræ, nunc lux in Domino: & alibi, vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam: vestis enim Christi

dealbata ſignificat Eccleſiam peccatis mundatam, teſte eodem Auguſt. alibi. Relinquentes ergo hoc ſignificatum nos conferamus ad primum. quomodo ergo, dicet quis, ornata fuit à Diuo Hyacintho caro? antequam hoc quæramus, videre debemus, quid erat ornamentum ipſius. & quia caro omni gratia plena, quæ naturæ ipſius conueniens fuerat, ornata extiterat, per peccatum verò Adæ infecta fuit; ideo ipſa ornari poterat, ſi quod peccatum abſtulerat, ei reddebatur: peccatum ergo fecit, vt tribus maledictionibus, quas iaculatus eſt in carnem Deus, Adam dignus eſſet. vnde prima data fuit mulieri, vt cum corruptione conciperet, cum grauamine portaret, & in dolore pareret. ſecunda data eſt homini, vt ſcilicet in ſudore vultus ſui veſceretur pane ſuo. tertia fuit communis mulieribus & viris, vt ſcilicet cùm puluis eſſemus, in puluerem reuerti deberemus. quantum ad primum autem, dicit Diuus Bonauentura ſecundo Sentent. diſtinctione 20. quod in ſtatu innocentiæ fuiſſet quidem integritatis corruptio, ſed ſine pœnali paſſione, aut fæda delectatione; declarans illa verba Auguſt. 14. de ciuitate

De qua acceptione loquatur.

Dei

Dei cap. 20. quòd ſcilicet maritus commiſceretur vxori ſine integritatis corruptione, immo quia ſemper ordinatè & congruenter cognouiſſet vxorem ſuam, ſemper filios generaſſet, quotieſcunque illam cognouiſſet, & æqualiter fœminas & mares ſuſcepiſſet, teſte eodem paulò inferius, & hoc etiam nobilitas ſatis oſtendit: nam teſte Diuo Thoma prima parte quæſtionibus 14. & 95. &c. vidit Deum per eſſentiam in illo raptu, in quo vidit etiam incarnationem verbi, & damnationem generis humani propter peccatum, licet non cognouerit ſe peccaturum: ſemper verò excellentiori quadam ratione Deum vidit; vnde Auguſt. 2. de Geneſi ad literam dicit, quòd fortaſſis Deus cum hominibus antea loquebatur, ſicut cum angelis loquitur illuſtrans mentes eorum, etſi non tanta participatione diuinæ eſſentiæ, quantam capiunt angeli: & cum in ſtatu illo corpus eſſet totaliter animæ ſubditum, & in gratia creatus eſſet homo, omni ſcientia rationabiliter, dum in gratia manſit, fuit plenus, & omni virtute: neque decipi potuiſſet falſa pro veris ſumendò, vt vult Diuus Auguſt. 3. de libero arbitrio, cap. 12. quantum

ad ſecundum habetur per eundem Diuum Thomam, quòd licet in ſtatu innocentiæ homo cibis indiguiſſet, tamen abſque labore per lignum vitæ immortalitatem conſequutus fuiſſet: quam, ſi non peccauiſſent, poſſediſſent; vt & Diuus Thomas ibidem, & Scotus, atque D. Bonauentura diſt. 19. teſtantur. vnde Apoſtolus ad Romanos 5. per vnum hominem intrauit mors in omnes; & cap. 8. propter peccatum corpus mortuum eſt. videndum ergo eſt, quomodo Diuus Hyacinthus fideles iſtis tribus maledictionibus liberauit. cum ergo per opera ſiue bona ſiue mala intelligamus filios, teſte Diuo Aug. in pſalmum 122. & Diuo Hieronymo in Iob cap. 20. noſter verò Sanctus cauſa fuerit, vt opera quæ cum dolore pariebantur, in iubilatione fierent; propterea ipſum cauſam fuiſſe, vt filij non parerentur cum dolore, aſſerere debemus. quod autem hoc fecerit, multis claret rationibus: nam multos eripuit de manu diaboli, & cùm filios diabolo parerent in dolore, nam vt dicit Diuus Aug. in pſal. 139. in omni opere malo labor eſt, fecit eos parere filios Deo in iubilatione. quia poſt opera bona nos requie-

S. Hyacinthus liberat fideles à tribus maledictionibus.

quieturos, ſicut Deus poſt opera ſua bona requieuit, teſtatur idem Aug. lib. 4. de Geneſi ad literam. vnde Matth. 11. dicebat Chriſtus, venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos: ad peccatores autem oneratos loquitur. & de malis operibus dicitur pſalmo 4. filij hominum vſque quo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & mendacium quæritis. & Ieremiæ 6. dicitur, docuerunt linguas ſuas loqui mendacium, vt iniquè agerent, laborauerunt. & pſal. 7. ecce parturiuit iniuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. quòd verò in bona opera mala verterit, clariſſimum eſt ex prædicationibus ſuis, quibus iugum Domini fecit multos accipere, & deficere ſpiritum ipſorum à diabolo, cuius ſerui ante erant, dicat & diabolus ipſe, qui cum à tota prouincia expulſus eſſet, neque potuit in pace locum poſſidere, quem in medio fluminis vnius in perparua quadam inſula Dominus poſſidere ſolebat, ibi enim per templum cuiuſdam idoli venerabatur; ſed Hyacinthus eo accurrens, neque nauigium inueniens, tertiò flumen auxilio veſtis ſuæ ſiccis pedibus tranſiuit; atque

Diabolus expulſus à prouincia.

Tertio trāſit flumē.

com-

comminuto idolo, id eſt, baculi ſui ictu deiecta & comminuta magna quadam arbore, quam ipſi pro Deo colebant, quas inuenerat gentes, ad fidem Domini conuertit. iſti enim ſe Chriſti legi initiaturos promiſerant, ſi, quod factum eſt, eueniſſet. nec contentus hoc viſibiliter diabolum, qui & ipſe ſuper Boriſthenem ambulans corpore ſumpto, Hyacinthumque de illa conuerſione increpans illi occurrerat, ita terruit, vt fugam corpſe arripuerit: quem ipſe inſecutus eſt corpus illud verberibus ſemper afficiendo, quouſque vidit eum. dicet etiam hoc filius illius mulieris, quæ cùm propter negligentiam baptiſmum in quintum diem diſtuliſſet, cauſa pœne fuit iacturæ ipſius: non baptizatus enim mortuus eſt, & non ſolùm illi reddidit vitam Hyacinthus, ſed etiam & animam iure debitam è manibus diaboli eripuit. teſtabitur idem etiam Vandalus flumen, qui cum vitæ peſſimę ſeruum cuiuſdam presbyteri occidiſſet, Hyacinthus vitam reſtituens illi, animam etiam ab inferis liberauit. teſtabuntur idem & duo partus abortiui vnius mulieris vna vice ſuſcepti, quibus vita reſtituta eſt, & per conſequens anima liberata: quorum

Plures à morte excitati.

Partus informis, & deformis formatus & pulcher redditus.

rum alteri etiam forma pulcherrima donata eſt, cum potiùs carnis informis vel vrſini partus, quam hominis formam gereret. teſtabitur & ſerua illa Hyacinthi, cuius anima mortuæ à ſancto primùm à diabolo & à duobus Aethiopibus eam ad inferos ferentibus liberata eſt; deinde verò & corpori reſtituta ipſius: quæ mulier cum ſimul & liberationem animæ, & corporis, & ſanitatem recepiſſet, etiam viſione, quæ has liberationes ipſi manifeſtauit, per os Diui Hyacinthi digna iudicata eſt. teſtabuntur tandem 39. mortui, & 15. pueri abortiui, quibus vitam dedit; quorum animas etiam ſæpe ab inferorum pœnis liberauit. & ita patet, quod faciendo mala opera illorum bona fieri, à dolore partus liberauit myſticè. cum tamen etiam verè viginti tres mulieres à dolore partus liberauerit: ſed etiam dolorem conuertit in lætitiam alia ratione, ſcilicet efficiendo filios diaboli, qui ſimiles erant ipſi in operibus ſuis, filios Dei: namque vt habetur per Diuum Auguſtinum, filij Dei ſunt, qui præcepta Dei obſeruant, & pacifici ſunt. vnde Chriſtus apud Matth. 12. qui facit voluntatem patris mei, ipſi fratres mei,

Anima ab inferis liberata.

Mulieres à dolore partus liberatæ.

&

& filij mei sunt. & cap. 5. beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Diuus verò Hyacinthus conuertendo eos ad Deum suum, liberauit eos à possessione dæmonis, & per consequens à superbia regina omnium vitiorum, atque firmando ipsos in seruitio Dei, eos similiter firmos reddidit in obseruatione præceptorum eius. quare à dolore partus & ab omni labore liberauit: omnis enim bona operans non laborat, sed solùm, qui in seruitio diaboli manet. quare liberauit eos à duabus primis maledictionibus: & insuper etiam à tertia eos immunes reddidit, scilicet à morte, cùm illos duxerit ad veram vitam, quæ Christus est, dicente ipso, ego sum via, veritas, & vita; & à morte liberauerit, scilicet à peccato, quæ vera mors est, vnde 4. Esdræ *6.* & videbunt qui recepti sunt homines, qui mortem non gustauerunt à natiuitate sua. & *psal. 6.* non est in morte, id est, in peccato, qui memor sit tui, & psalmo 12. illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte: tertiò liberauit à morte, quia causa fuit, vt Dominus à morte liberaret; amicos enim Deo reddidit, sed super amicos Domini, vt

habetur

habetur psal. 32. & 33. sunt oculi Domini. & hoc, vt eruat à morte animas eorum, dicit propheta, & alat eos in fame, & Diuus Iacobus in epistola sua cap. 5. Fratres mei, si quis ex vobis aberrauerit à veritate, & conuerterit quis eum, scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam suam à morte, & operiet multitudinem peccatorum. nemo ergo dubitare debet, quòd Diuus Hyacinthus, qui conuerti fecit per prædicationem suam Septentrionales multas & Orientales regiones, non saluauerit animam eorum à morte, operiendo multitudinem peccatorum ipsorum. & rursus dicitur eos liberasse à morte, quia liberauit à peccato, vt enim dicit Diuus Iacobus cap. 1. concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem. Clarissimum est ergo diuum Hyacinthum à tribus illis maledictionibus multos populos liberasse fretum meritis crucis Domini & passionis ipsius. Restat modò considerandum hoc, quomodo scilicet Sanctos & Apostolos ornauerit. Finis sanctorum est placere Deo, & causa ornamentorum, quæ

possident, est amor Dei. clarum ergo redden do amorem Dei, & legem ipsius amplifican do, atque præcepta eius vera esse ostenden- do gentibus quibus prædicauit, dicitur cau- sam ornamentorum ipsorum sanctorum cla- ram & lucidam reddidisse. adde quod mul- ta exempla sanctorum afferendo, dum illis infidelibus prædicabat, ipsos sanctos cona- tus est, quàm maximè potuit, exaltare atque extollere. sciunt hoc Russiæ cultores, qui fi- dem Christi, quam à Sancto Andrea Christi Apostolo acceperant, & reliquerant, (licet alius velit illos hoc habuisse ab Apostolis Bartholomæo atque Tadæo) à sancto hoc iterum acceperunt. quod idem sciunt & Ru- thenij, Mosci, Liuones, Scythæ, & infinitæ aliæ tum Orientales, tum Boreales regio- nes. Sanctos tandem dicitur ornasse, quia multos discipulos Sanctos habuit, & ipsos virtutes docendo seruos Dei fecit, virtutes enim & humilitas, nec non bona moralia (teste Aug. in epistola de ornamentis mu- lierum, & Hieronymo in regula monacho- rum) sunt vera ornamenta seruorum Domi- ni, & Sanctorum in via. testabuntur infiniti Sancti, quos discipulos habuit, & quibus

Prædicationes S. Hyacinthi multi denuò fidem amplectuntur.

iuue-

iuuenibus, vt dicit Apostolus, tanquam lac potum dedit. deinde verò aluit cibo solidiori, cum id ferebat tempus & occasio; & tandem imitatores sui ipsos reddidit, & sanctos Domino parauit. dicent præcipuè præsules tres, scilicet Gerardus primus Ruthenis, Vitus primus Lituanis, Meinardusque primus Liuoniæ dati Episcopi. Apostolos etiam exaltauit, quia primos conuersores fidei, scilicet Andream, & alios dictos magnos, & magna doctrina præditos eos ostendens, honorificauit. & præterea cum ipsi propter prædicationes & labores, quia arcta est via, quæ ducit ad cœlum magni, & sancti effecti fuissent, labores illorum ipse redintegrando, clariores populis illos reddidit. adde, quòd cùm factum ab Apostolis & ipse fecerit, & sicut Apostoli à Christo missi fuerunt, ita ipse iussu Dei, B. Virginis iuerit ad diuersas regiones prædicans, nouus Apostolus effectus est. non dedignabimini autem ò beati Apostoli Domini ornari chorum vestrum à tali gemma, qualis Hyacinthus est; cùm & digiti Domini ipso ornentur. manus enim Domini tornatiles plenæ hyacinthis. ornauit ergo Apostolos, sed &

ornauit etiam tertiò gentes, immo ipſis neceſſarius fuit, quia ipſas optimè veſtiuit, tradendo eis virtutes; verum enim ornamentum eſt fides Chriſtiana, quæ ornat totum hominem virtutibus diuerſis, & veſtem nuptialem ipſi dat, ſcilicet charitatem, ſine qua, dicit Apoſtolus, licet loquar linguis hominum & angelorum, & vt breuiter dicam, omnia bona fecerim, nihil ſum. Fides ergo, quæ prima debet eſſe & præcipua, & quæ appræhenditur baptiſmo, & ſine qua nullus poteſt introire cœlum, quaſi gemma lucidiſſima caput ornauit eorum, quibus eam tradidit Hyacinthus. ſpes verò, cui ſicut anchoræ nauis, innititur tota ſalus noſtra, pectori decori eſt; quia in tenebris tribulationum etiam locum habet. & ſicut anchora tranſiens aquas etiam in arena figitur, ita ſpes per aquas miſericordiæ Domini tranſiens, etiam in terra non firma, id eſt, in homine non ſancto radices ſuas ponit. opera in amore Dei & timore ipſius facta, quaſi pulcherrimi annuli, manus ornant. fraternus verò amor pedes veſtit & pulcherrimè contegit, faciendo eos ſedulos etiam ad auxilium præſtandum inimicis. præcipit enim
nobis

nobis Chriſtus, vt benefaciamus eis, qui
oderunt nos. quare iſto amore ita veſtiti
parauerunt ſibi per hunc amorem Dei, opera
miſericordiæ, quæ ſunt quaſi pallium
pulcherrimum, quod maculas veſtis tegit:
eleemoſynis enim peccata redimere debemus
dicebat Daniel, & Iob teſtatur eleemoſynas
operire peccata, ita parauerunt ſibi
gladium doctrinæ, & ſcutum ſacram ſcripturam
habuerunt: quibus armati potuerunt
contra hoſtes Chriſtianæ Eccleſiæ ſermonum
ſagittas mittere, & loquela ipſos ferire.
ita ergo ornati fuerunt illi plurimi quibus
fidem Catholicam prædicauit Diuus
Hyacinthus, atque præcipuè illi quos in diſcipulos
habuit, qui exultant in Domino &
lætantur, quia merces eorum copioſa eſt in
cælis. exultate & lætamini in Domino, iuſtos
enim decet collaudatio. laudate Deum
& extollite eum, præcipuè in Sancto ſuo
Hyacintho. videte eum plenum gratiæ, quia
apud Dominum acceptiſſimus eſt, atque
veritatis. iubilate ipſi omnis terra, pſalmum
dicite nomini eius, nomen enim ſanctum
eſt, nomen dulce, & nomen cuius ſono delectatur
etiam mater Dei dicens, Gaude fili
Hya-

Hyacinthe, date gloriam nomini eius, dignus enim eſt omni laude, & illum decet hymnus. propterea ſumite pſalmum, & date tympanum & pſalterium iucundum, cytharas pulſate, dicite ipſi, quàm terribilia ſunt opera eius; propterea omnis terra adoret eum, & pſallat illi, pſalmum dicat nomini eius: quid enim admirabilius ipſo? aut quid fraterna charitate illius illuſtrius? oſtendit Hyacinthus quantæ dignitatis ſit homo,
Pſal. 8. qui gloria & honore coronatus eſt; cum ipſe tot virtutibus præditus fuerit; qui non
D. Chryſoſtomus. horruit tyrannorum facies, neque criminationes humanas, ſed pro voce reſpondens & ad ſtudia cohortans, verbis ſuis diabolica blaſphemantium concluſit ora. non enim teſte Apoſt. 2. ad Tim. 1. dedit Deus ſeruis ſuis ſpiritum timoris, ſed virtutis, dilectionis, & ſobrieratis. nemo inſidiatores ſuos & inimicos ita dilexit, aut beneficus
2. Tim. 1. in afflictores ſuos fuit, vt ipſe. cum enim propter Deum illa pateretur, non confundebatur, quia ſciebat cui crediderat, & certus erat, quia poterat depoſitum ſuum, vt dicebat Apoſtolus, id eſt merita ſua, & mala paſſa ſeruare habens eorum memoriam in
æter-

æternum, quare licet multos æmulatores virtutis suæ contra se videret iniustè insurgentes, tamen cupiens salutem ipsorum, quo magis insaniebant ira feruentes, sicut pater qui filium furentem videt, tanto maiori misericordia viscera eius mouentur, quanto maiori phrænesi videt filium correptum etiam in patrem suum iras exercere; ita Hyacinthus licet videret furentes in se populos, non tamen abstinebat se quin tentaret si qua ratione posset ad verum splendorem ipsos ducere, atque quo magis ira percitos in se ipsum videbat, tanto maiori misericordia motus etiam maiori desiderio correctionis ipsorum efferuebat. vt enim testatur Apostolus 2. ad Tim. 2. seruum Dei non oportet ligare, sed mansuetum esse ad omnes doctorem patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt, si quando det Deus illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, vt resipiscant à diaboli laqueis, à quo capti tenentur ad ipsius voluntatem. & quasi totum mundum genuisset, ita currebat & festinabat omnes in regnum Dei inducere, docendo, orando pro ipsis, tum etiam ipsis supplicando, & terrendo, & dæmones corrupto-

rupto-

ruptores animarum fugando, iacentes extollebat à cœno peccatorum & à puluere iniquitatum lauando eos in aqua salutari in viam virtutis ducere conabatur, infirmos sanabat, in peccatis positos seruos frugi Deo reddendo,& naufragos per secundam pœnitentiæ tabulam multoties liberando. torpentes & hæsitantes in fide ita oleo exhortationis animabat, vt ad omnia paratos redderet. & tandem summi medici officio vsus & superflua resecabat, diminuta augere contendebat. & sicut medicus se peritissimum ostendit, dum aliquando frigida, aliquando calida, aliquando amara, aliquando verò dulcia vult ægrotum haurire; & sicut peritia facit, nam aliquando resecat, aliquando verò augere conatur, aliquando aperire, aliquando verò vulnus claudere; ita Hyacinthus maximam præstantiam suam ostendit; quia contrarijs tempestiuè vtendo optimè sanabat infectos morbo peccati. quare non mirum est, eum aliquando mortem desiderare, vt dissolutus cum Christo esset, aliquando vitam, vt doceret: modo persecutiones charas habere, vt mereretur, modo horrere, ne impediretur ad docendum: modo mar-

tyrium

tyrium desiderare, vt pateretur pro Christo, modò non quærere, vt plures docendo seruos Domino inueniret: modò summè videbatur efferuescere contra peccatores, modò placidissimus propter bonos conspiciebatur: modò furentes frigida humilitatis aqua retrahebat, modò verò pigros incitabat calido amoris Dei igne: modo resecabat iniquitates,& modo addebat virtutes: aliquando dulcia corpori ad refocillationem concedebat, at aliquando amara tantùm ad pœnitentiam sumi volebat: certè ita egregius rerum contrariarum conciliator fuit, vt neminem vel paucos æquales habuerit: nos quidem pro mercede proposita certamus, sed ille bella complexus etiam sine prẹmio Deum diligebat, cuncta illa, quæ asperitate sui videntur impedire virtutem, cum omni magnanimitate perpetiens. eum non terruerunt tyrannides non impediuerunt infirmitates corporis, non retardauerunt circumstantium vndique negotiorum multitudines, & non tandem ergastuli huius sarcina ei alicui fuit vnquam impedimento: sed cum corpus obediret animæ, quotidie celsior, quotidie ardentior assurgebat, &

 inten-

intentis sibi periculis noua semper alacritate pugnabat. itaque cum inter medias inimicorum versaretur insidias ouans, de omni eorum impugnatione referebat victorias, & affectus iniurijs & maledictis, quasi benediceretur & honoraretur feruentiori spiritu orabat pro inimicis, quàm alij pro amicis facerent, aut contra inimicos. paupertatem elegit libentiùs, quam alij diuitias facerent: laborem potiùs, quàm requiem elegit: mærorem potius, quàm voluptatem: & confusionem & iniurias nec non calumnias & calamitates potius, quàm ad oblectamenta eorum, quæ bona videntur & sensualia sunt, properabat. quis enim, inquit Diuus Bernardus, videns Christum suum sertis spineis caput circumdatum, flagellis concussum, lanceæ vulnere pectus apertum ostendentem, & clauis infixum manus & pedes, atque tandem Deum crucifixum, quis est qui videat summi motorem cæli potentissimum, licet propter nimiam tamen charitatem factum obedientem, vt dicit Apostolus, vsque ad mortem, mortem autem crucis ignominiosam, quis est, qui videat saluatorem, in quo, vt dicit Esaias, à capite vsque ad pedes non

est

eſt ſanitas, crucifixum propter ingratum hominem nolentem ſequi ipſum, vt saluum faceret eum, qui ſpiritualiter à capite vſque ad pedes nullam ſanitatem habebat, vt idem Eſaias teſtatur; & non profundat lachrymas, non laboret, & mortem potiùs, quàm vitam deſiderans non fugiat voluptates atque omnia oblectamenta corporis, & vt hoſtes inimiciſſimos non habeat. talis certè fuit Hyacinthus, qui propter Dominum nihil aſperum in hoc mundo putabat, nihil etiam ſuaue propter Dominum ſuum, qui ſic eum dilexit, vt dignum omni gratia iudicauerit, ſeruum ſibi elegerit, decorem orbis terrarum fecerit, & ſuper omnes pene extulerit. ita vt ſicut nullus fuit ſimilis illi in oratione, ita ſimiliter nullus ſimilis fuerit in operibus. miracula enim ſunt gratiæ per orationes ſanctorum fidelibus conceſſæ. ſi Chriſtus mortuos ſuſcitauit, paralyticos ſanauit, hydropicos curauit, & multis generibus alijs morborum illos, quos voluit, liberauit: & Hyacinthus multo maiora fecit imitatus ſuum magiſtrum, qui dixit, quòd ſi habuerimus tantam fidem, quantum Matt. 17.
eſt granum ſinapi, dicemus monti huic va-

de illuc, & ibit: & alibi testatur, quod si eum imitati fuerimus, multò maiora, quàm ipse, fecerimus, certè Hyacinthus ad mille miracula, quæ scimus, operatus est: propterea eum in mirabilibus non esse alicui inferiorem dicam. si Paulus ad tertium vsque cœlum raptus est conspecturus quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec hominum aliquis cogitauit: & iste crebras per reuelationes ad extasim ductus ad Empyreum vsque cœlum, vt mihi persuadeo elatus, non minora quàm Paulus conspiciebat, reuelationes multas recipiens: hocque cum fieret sæpe, sæpe quoque spiritum eius inter beatos Deum considerare quasi compræhensorem crederem. Si Stephanus pro persecutoribus orauit, & Paulum Ecclesiæ acquisiuit: & iste prædicans in medio gentilium, magnas tribulationes atque persecutiones passus, (quia teste Paulo 2. ad Tim. 3. omnes, qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutiones patiuntur) orans tamen pro persecutoribus, & illis cum reliquo populo bonum suadens, non vnum sed infinitos Deo & Ecclesiæ sanctos acquisiuit. Si Christus fætentes mortuos suscitauit. Hyacinthus

Non minora conspexit, quam S. Paulus.

quo-

quoque non dedignatus eſt, precibus ſeruorum ſuorum· motus, reddere vitam iuueni cuidam propter nimiam crapulam defuncto: qui vita donatus ab hoc Sancto orantibus parentibus ſuis petijt faſcias funerales exolui, & poſt multum temporis à morte quaſi nouus Lazarus reſurrexit. ſi magiſter eius Dominicus reddidit animam corpori cuiuſdam, qui ea per annum priuatus fuit, & iſte illis qui nunquam perfectè habuerant, & cum vſu rationis reddidit eam, & corpora inſuper refecit: vt in pueris aliquibus patet; qui cum ante tertium menſem, vel ſaltem multò plus antè quàm oportebat mortui emiſſi eſſent, vita illis ab Hyacintho reddita. ſi Petrus vmbra ſua languentes ſanabat: & iſte dignus à Deo iudicatus eſt, vt fideles & ſerui illius nomine tantum eius inuocato mortuos reſurgere facerent, ſcit hoc mulier illa, quæ cum infantem filium ſuum in vaſe aqua pleno reliquiſſet, ipſe verò ſuffocatus eſſet, viuum tamen eum recepit Hyacinthi tantùm nomine inuocato ab ea cum marito ſuo. ſciunt & multi alij, qui per votum Diuo Hyacintho factum, & preces fuſas mortuis multis vitam impetrarunt?

inter

inter quos numeranda est mulier illa rusti-
ca , quæ puerum in flumine quodam suffo-
catum , & propter cursum aquæ vix inuen-
tum, precibus Hyacintho fusis recepit vi-
uum . quemadmodum & ille qui alio flumi-
ne occisus est , & ita deformis redditus ,
vt à matre non cognosceretur , & vitam
auxilio Hyacinthi recepit . addamus etiam
puerum illum , qui cum in puteum cecidis-
set , & à brachijs matris ereptus à quibus-
dam mulieribus socijs illius , vt materia do-
loris auferretur, ipsæ voto facto Diuo Hya-
cintho vitam pueri ab eo impetrarunt . vt
autem ostendamus , quod propter prædica-
tiones suas multos Apostolorum quia ho-
norificauit , eos etiam amicos sibi compa-
rauit ; hoc etiam miraculum subiungemus ,
prætermittendo multas alias mortuorum re-
surrectiones per intercessionem Diui Hya-
cinthi factas , de quibus superiùs etiam dixi-
mus . cum ergo mulier quædam propter
asperas mariti illatas tribulationes & con-
uicia filium suum , crudelirer negando illi
lac , mortem cum vita commutare coegis-
set; tandem materno mota affectu , Deo ita
volente , resipuit , & dolore maximo pro-
pter

pter mortem filij affecta, incepit omnium sanctorum, & præcipuè Diui Andreæ, cuius festum illo die celebrabatur, auxilium postulare. quare vel dolore & lachrymis lassata, vel natura eam cogente, vel Deo ita iubente, somnus artus illius occupauit. atque in somnis vel potiùs in visione vidit Diuum Andream quemadmodum depingi communiter solet, qui ei iussit, vt votum faceret Diuo Hyacintho, atque ipsi se commendaret: quem cum negaret mulier se cognoscere, & fortasse nunquam audiuisse nomen ipsius, ipse corpus eius Cracouiæ in Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis affirmauit manere, & multis miraculis clarere. ipsa autem facto voto protinus viuum filium suum recepit. si Pauli vestes diabolum terruerunt, & à morbis plures gentes per contactum liberauerunt: & hoc idem fecerunt nomen Hyacinthi inuocatum, atque vestes, nec non sepulchrum, ad quod multi à dæmone vexati, & à diuersis morbis, cum iuissent, liberati sunt. quid plura dicam, si de omnibus ab eo factis mentionem habere voluero, nunquam sermonem meum terminabo. propterea istum super omnes efferam, si non propter aliud

saltem

ſaltem propter orationes, & miracula, vel certè in iſtis nulli inferiorem dicam. iſte non abſimilis eſt vaſi illi, quod vidit Hie-
Cap. 18. remias in domo figuli, quod pulcherrimum erat, at per caſum contritum cùm eſſet, pulchrius deinde per additionem pauxilli aquæ à fabro illo redditum eſt. Hyacinthus enim etiam in ventre matris pulcherrimus erat, tum quia Deus eum prædeſtinauerat & elegerat à ventre matris ſuæ, tum quia naturæ excellentiſſimæ erat. ſed cum in miſerias huius mundi cecidiſſet, quia teſte Iob cap. 13. homo natus de muliere, breui viuens tempore, multis repletur miſerijs; propter peccatum originale fractus erat. ſed Deus factor ipſius per additionem aquæ Baptiſmi, rotans eum rota tribulationum, quia rotantur inimicis animæ 1. Regum 25. pulcherrimum eum reddidit. & quia eum fecit Dominus, ideo vt idem dicit Ieremias placuit oculis Domini: inuenerat enim Dominus virum ſecundum cor ſuum. iſte dici poteſt arcus ille cæleſtis pulcherrimis coloribus refertus, qui Noe datus eſt in ſignum, quòd Dominus nollet ampliùs aquis mundum deſtruere. ſi enim

in hoc arcu quæris rubedinem, charitatem & amorem Dei inuenies: si viriditatem, spem eius in Dominum: si albedinem, fidem non maculandam neque aliqua ex parte maculatam ab eo. vel conspicies rubedinem amoris fraterni, viriditatem scientiæ, candorem castitatis: vel rubedinem ignis comburentis & inflammantis proximum ad Deum sectandum, viriditatem desideriorum cælestium semper in eo florentium & viridorum, mitis humanitatis & patientiæ candorem, atque splendorem virtutum eius. igniunt opera & pœnitentiæ illius, virescere faciunt exempla proximo exhibita, candorem que animi donant verba eius. & hoc solis facit percussione radiorum, scilicet summi Dei auxilio, qui tribuit illi omnem gratiæ plenitudinem. atque sicuti arcus ille in signum datus est, quòd Dominus aquis ampliùs nollet destruere mundum; ita Hyacinthus signum fuit, quod Dominus nolebat illos aquis, id est inferno & pœnis eius, vt antè fecerat, submergere. aqua enim infernum significat, vt de hoc interpretatur concordantia sacræ scripturæ locum Exodi 15:

L sub-

submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. & de pœnis, quod sint aqua, habetur Iob 24. transeat ab aquis niuium ad calorem. istum dicam virgam Moysis quæ in serpentem vertebatur, dum autem eleuabatur virga fiebat, Hyacinthus enim scientissimus, quasi serpens, quo non datur callidior Gen. 2. docebat gentes, dum cum peccatoribus conuersabatur, qui terra sunt, atque serpentes magorum sicut illa comedebat, ita iste hæreticorum contradicentium scientiam doctrina sua dissipabat. quando etiam ad manus Domini redibat Hyacinthus, id est, dimissa scientia potentiam arripiebat, tum virga erat vigilans, & haud secus quàm virga, quam vidit Ieremias, minitans. qui tamen benignissimus non patiebatur sequi post hanc ollam succensam igni, id est, vindictam Domini. quia per orationes suas & exhortationes eam impediebat. & sicut in virga Moysi facta sunt multa mirabilia, vt populus liberaretur à Pharaone: ita Deus qui in Moyse aliquando significatur hac virga, scilicet Hyacintho, multa mirabilia operatus est, vt liberaret à manu diaboli popu-
Iere. 1.

lum

lum ſuum. & ſicut illa diuiſum eſt mare, & non deturpatus populus tranſiuit illud; ita Hyacinthus cauſa fuit, vt populus ſuus poſſet hanc vitam tranſire non turpis effectus. ſicut illa tandem requieuit in arca Dei; ita Hyacinthus in cœlo omnibus gratijs plenus & gloria. hic ergo tot miraculis clarens ita à Deo honoratus & dignus iudicatus, vt tam magnus ſeruus Domini fieret, vt nihil ſuprà. omnes certè beatos ſi non miraculis prætergreſſus eſt & anteiuit, ſaltem æquauit. nihil enim timens ſic deſpiciebat vniuerſa, vt ſolet herba putrefacta contemni. vt enim habetur 2. ad Tim. 2. nemo militans Deo implicat ſe negocijs ſæcularibus, vt ei placeat cui ſe probauit. furorem hominum & tyrannorum ſpirantium cædem velut culices exiſtimabat. immo mortes cruciatus & ſupplicia deſiderans, omnes iras populorum exiſtimabat quaſi auras ipſum reficientes. & calamitates quaſi brauia, & dolores quaſi præmia habebat dicens omnia hæc propter Chriſtum ſuauia eſſe; & triſtitiæ quæ ſunt nobis cauſa, lætitiam & voluptatem illi parabant. vnde ſicut Paulus 2. ad Corint. 11. poterat dice-

re; quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur & ego non vror? fælix quem tu emendaueris Domine, & de lege tua docueris, dicit propheta psal. 93. & Diuus Paulus 2. ad Tim. 2. nam qui certat in agone, non coronatur, nisi legitimè certauerit; & agriculam, antequam de fructibus percipiat, laborare oportet. quid ergo comparabimus animæ ipsius? adamantem? cum esset fortior ipso. aut gemmas aurumue? cum multò pretiosior esset ipsis. mundumne totum forsan? non quidem, quia multò ponderosior & pretiosior erat anima ipsius. quod si volumus angelorum considerare sortem vel archangelorum, illos vni prouinciæ superpositos eas gubernasse cognoscimus: sed Hyacinthus non vnum hominem, non vnam ciuitatem, non vnam prouinciam, non vnum regnum, non vnam gentem, non dicam gubernauit, non rexit, non ad bonum suasit solummodo; sed multas gentes, & totum pœne mundum à manibus diaboli liberans, potius impulit & coegit atque traxit, quam hortatus sit ad sumendum leue Domini iugum, atque amantissimi sponsi animæ suæ obseruare legem,

Cui compar̄ada animæ S. Hyac.

&

& imitari opera: quæ ipſe ſtuduit omnibus viribus ſuis, nulla pericula timens, ſed ſolùm offenſam Domini, imitari. & cùm æmulus Chriſti (vt creatura poteſt) effectus fuiſſet, dignus etiam iudicatus eſt, vt non ſolùm Dei tabernaculum, & veſtem ſacerdotalem, ſed etiam ipſius Dei templum ornaret. quod vt oſtendamus, debemus videre, quid templum Domini ſignificet, templum ergo Dei, teſte Theodoreto in hymnum trium puerorum, quia eſt cæleſte ſolium Dei, in quo ſancti requieſcunt, & quia Dauid teſte eodem Theodoreto in caput ſecundum lamentationum Hierem. vocat ſcabellum Domini templum eius, vnde pſalmo 98. dicit, adorate ſcabellum pedum eius, per ſcabellum verò pedum Domini terram intelligimus; quia cælum thronus eius, terra verò ſcabellum pedum eius, terram templum Domini dicemus. etiam Cicero aliquid ſcripturalis veritatis cognouit, dicens in ſomnio Scipionis vniuerſum eſſe templum Dei, Iouis enim omnia plena, dicebat Virgilius, & Lucanus, quidquid vides Iupiter eſt. ſed iſtis prophanis prætermiſſis, nam vt teſtatur Diuus Auguſtinus lib.

Tertia pars.

Templi acceptiones multæ.

83. quæſtionum quæſtione ſecunda, templum Dei abuſiuè dicitur locus Dei, & non propriè. dicamus tertiò ſignificari templum Dei per animam fidelem. nam teſte Auguſtino de natura & gratia contra Pelagianos cap. 64. ex authoritate Sixti Epiſcopi, templum ſanctum eſt Deo mens pura, & altare optimum eſt ei cor mundum & ſine peccato. vnde Diuus Paulus neſcitis quia membra veſtra, id eſt, ſpiritualia templum ſunt Spiritus Sancti, 1. ad Corint. 6. videamus ergo breuiter quomodo Diuus Hyacinthus ornauerit cœlum, & terram, & animam ſuam. patet quomodo ornauerit cœlum, quia gemmam pulcherrimam, & lucentiſſimum hyacinthum in ipſo, quaſi auro ligari vellet, ſe collocauit in ſummo throno Dei. & non ſolùm ſe ipſo ſed etiam multis alijs diſcipulis ſuis quaſi pulcherrimis gemmis voluit & ornare & decorare cœlum magis, quàm Luna, aut Sol, ſiduſue aliud ornaret. cum enim Sol luce ſua, & ſplendore, & calore ſit conſpicuus; Diuus Hyacinthus ipſum ſupergreſſus eſt. namque amor Dei fuit tantus in eo, vt ipſe non ignitus dici, ſed ignis ipſe appellari

verè possèt : qui non adiumento aliquo terræ, quemadmodum Sol, sed ipse solus posset alios non dicam calefacere, sed ignire. quare tanto splendore propter hunc amorem perfusus est, vt illuminaret si non omnem hominem huius mundi, saltem multas partes orbis terrarum, quare non solùm ipsam sedem Dei, & thronum ipsius, sed & scabellum pedum Domini illustrauit. quæ tamen erant templum Domini, patet aperitissimè. prætermitto quod reliquijs suis, & corpore suo multa loca Septentrionalia ita illustrauit, vt illustrissimas regiones reddiderit & præclarissimas. clarissimè enim ex alijs hoc apparet. quis enim pulchrior ornatus terræ, quàm homines pulchri, verè homines nec dæmone alterati, sed tales quales Deus eos fecit? Sed Diuus Hyacinthus, cum omnia mors peccati vastasset, & diabolus catenis suis omnes illarum regionum vinxisset, ipse eos liberauit, catenas fregit, carceres aperuit, compedes confregit, & omnino eos à labore committendi peccata, & seruiendi diabolo, liberauit, & ornatores terræ, vt ipse erat, fecit. cum enim ipsi propter creatio-

nem

nem Domini, & quia anima rationali prædi*ti* erant, & creaturæ Dei aliarum dominatores, vt dicit propheta in honore essent, comparati tamen erant iumentis insipientibus, quia boues diaboli facti erant, & laborantes sub iugo eius deficiebant; sed ipse eos reges fecit, quia seruire Domino regnare est, & iugo quidem etiam ipse supposuit Domini, sed iugo leui, nam iugum meum, dicit ipse apud Matth. suaue est & leue. quare per ipsos scabellum pedum Domini ornauit, & quia tanquam puteus aquarum viuentium aqua gratiæ suæ concessæ illi à Domino ita omnes purificauit, vt pulcherrimos Domino reddiderit, & oculis ipsius conspicuos, sed ante omnia animam suam templum purissimum Domino fecit, & vt alios posset ornare, ipse se ipsum primum ornauit. ò quàm admirabile ornamentum, ò quàm conspicua pulchritudo, ò quàm delectabilis splendor eius. quæris modum, quo hæc sibi acquisiuit? audi eum. noctes ferè omnes insomnes ducens, orationi operam dabat, atque non vt alij laxato spiritu, sed intensissimo amore in Deum versus ita orabat, vt non viator vi-

Laus præclara S. Hyac.

dere-

deretur, ſed beatus, qui laudes Deo caneret, atque inceſſabili voce, Sanctus, Sanctus, Sanctus, emitteret; quemadmodum cœli & vniuerſæ poteſtates faciunt. Eſai. 6. in Cantico B. Aug. & Ambr. Eccleſia verò pro cubiculo & oratorio vtebatur: illuc ab itinere declinabat, illuc poſtquam comederat ibat, illuc poſt omnia facta ſua gratias acturus Domino, vel eum pro ſe, vel fidelibus, fratribuſque ſuis ſecundum carnem, vt dicebat Apoſtolus, oraturus. non alter fuit, qui ſupergreſſus ſit eum charitate erga proximum, cùm ipſe mortem quidem cuperet propter deſiderium, quod habebat videndi Chriſtum, & laudandi eum; & tamen mortem etiam abhorrebat propter proximi vtilitatem. vnde aſſiduus in concionibus frequens in exhortationibus, & promptus in laboribus propter proximum captis erat: vidiſti cubiculum eius, quàm ſanctum erat, & quàm ſancto viro dignum; ſed videas & cubile, quod erat altare lapide ſtratum, quod pro ceruicali lapidem requirebat, & habebat: quem tamen molliſſimum Hyacintho reddiderat amor Dei, licet ipſo rarò vteretur; namque ſomno

nunquam indulgebat, nisi cùm natura cogente somnus ipsum arripiebat: tunc enim declinato corpore, vt diximus, quiescebat; sed corpore soporascente mens vigilabat, atque reuelationes quasi nouus Ioseph recipiebat, vel, vt me iuuat credere, vt alter Diuus Paulus, ad tertium cœlum vsque eleuatus contemplabatur quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. porro in edomando corpore tam assiduus fuit, tam ferus in carnem suam extitit, vt non solùm somno, sed etiam cibo eam summopere domaret. namque sextis quibusque ferijs, & septimis nec non omnibus Beatissimæ Virginis & Apostolorum magnisque alijs vigilijs, aqua tantum & pane vtebatur, atque de cibo etiam reliquis diebus tantum detrahebat, quantum vitæ sustentatio patiebatur. addiderat etiam ciliciorum macerationes, quibus corpus similiter perdomabat. atque non contentus istis, singulis noctibus ter ita se catenis ad sanguinem vsque percutiebat, vt non solùm locum, in quo orabat lachrymis potuisses videre madefactum, sed etiam sanguine proprio, ita ipse corpus suum maceran-

Dormiebat corpus, vigilabat cor.

Luc. 2.

Seuera pœnitentia.

cerando, & pro peccatoribus orando, omnibus virtutibus repletus non indignum habitaculum factus est ipsi Deo, sed templum Domini ornauit: & non solùm hoc, sed etiam manus Domini. quia ergo nomine manus operatio intelligitur teste Aug. lib. 83. quæstionum quæstione 52. in psalmum 67. & manus similiter Dei pro potestate & virtute eiusdem sumuntur, teste eodem lib. 83. quæstionum quæstione 52. quia similiter manus Dei filius Domini dicitur, teste Diuo Hieronymo in libro de his quæ scripturis attribuuntur, & Diuus August. lib. de diuinitatis essentia idem vult; ideò Hyacinthus ista quia ratione aliqua decorauit, dignus habendus est, vt de eo dicatur, quod manus Domini ornauerit. operationes Dei dicitur ornasse, quia si ipse maiora quàm Dominus fecit, nonne ostendit (faciebat enim in virtute Domini omnia) potentiam Dei tantam esse, vt finis ipsius non posset reperiri. decorauit etiam opera Domini, quia narrauit illa populis nescientibus ipsa. clara tandem reddidit; namque cum ipse legem Domini secutus Dominum ita amauerit, vt paucos,

Quarta pars.

Omnia virtute Domini faciebat.

vel nullum ſuperiorem habuerit, opera Domini & vocem ipſius, quæ Hebræos non mouit, eum mouiſſe oſtendit: atque cauſa fuit vt alij ſimiliter illis moueren-tur, & ſequentes Dominum magni in aula ipſius euaderent. quare & opera Domini ornauit, & quia in operibus eius ſemper apparuit potentia Domini, & ſapientia quæ filij eſt attributum appropriatum; propterea etiam poteſtatem Domini & filium eius aliqua ratione dicitur lucidos reddidiſſe. propterea cui te ò Hyacinthe iuſtorum veteris teſtamenti vel noui audeam comparare? ſi enim ipſi virtutes conſperſas habuerunt diuerſas; & tu quaſi in arca & in cumulo eas ſimul poſitas poſſediſti: fælix corpus tuum eſt, quia pro Domino laborauit ſemper & itineribus ſubeundis, & pœnitentijs capeſſendis, & prædicationibus agendis, & mille alijs laboribus non detrectandis. fælix anima tua quæ ſemper promptiſſima fuit in corporis gubernationem, atque regina optima & ſerua ſimiliter amantiſſima Dei ſui ſemper fuit. ò quam excellens erat ignis quo efferuebat. ita magnus erat, colendiſſimi au-

dito-

ditores ; vt cum tota ignis esset anima eius , necessariò corpus combusserit & in cineres . & quia mortale erat , ex limo enim terræ eum formauerat Deus, in puluerem redire eum necesse fuit . mortuus est ergo , & requieuit in pace . sed non immemor suæ consuetudinis Hyacinthus , sicut similem non habuit in ratione viuendi ; ita nec similem habere voluit in moriendo . quare cùm violenta & pestifera febri lassaretur , dum ignis pestifera nimis continuatione incendij corporis robur ac vires absumeret , ipse primùm testamento facto , & fratribus suis relicto , quod habebat , præcipuè corpore suo sanctissimo , quod magnus thesaurus erat , atque veste sua , quæ purpura omni , omni auro , & omni lapide pretioso nobilior erat & pretiosior : cum liberaret à morbis , mortuos suscitaret , & dæmones pelleret , quæ illa non faciunt : relicta quoque regula sua obseruanda , & templis Dei colendis , virtutes ipsis commendauit , præcipuè obedientiam , castitatem , & paupertatem . sermonem verò exhortatorium ad ipsos diuina facundia habuit , do-

Gen. 10.

Deuteronomij vltimo.

cens modum ſequendi Deum, quem quia verbis meis rudibus complecti pulchre non poſſum, ideo prætermittam. his verò actis, media iam nocte ingruente, etiam prohibentibus fratribus à cubiculo, quod nunquam proprium habuit, ad proprium ſe contulit, ſcilicet ad Eccleſiam, atque ibi laudibus cantatis, & confeſſione acta, & miſſa audita, viatico ſancto refectus eſt, atque horas canonicas cum multis alijs orationibus recitauit deuotiſſimè genuflexus, & ſenex licet atque ægrotus, non tamen cilicium exutus, ſed pectus tundens & multis cum lachrymis Deum orans, ſancto tandem extremæ vnctionis oleo purificatus, ad cubiculum quod ante reliquerat, & ad molliorem lectulum ſe contulit: ibique perſonato pſalmo, In Domino ſperaui non confundar in æternum, aſſiſtente Chriſto, & Beatiſſima Virgine, cum angelorum cateruis infinitis, poſtquam ventum eſt ad verſiculum, In manus tuas commendo ſpiritum meum, creatori ſuo animam reddidit: quam ſummo angelorum gaudio in cœlum mater eius Beatiſſima Virgo tulit; & ibi, cùm ſemper in vita Deum laudaſſet, ne-

D. Hyacinthi cubiculum.

D. Hyacinthi perſeuerātia.

que

que destitit laudare . accurramus ergo & glorificantes eum, laudemus Dominum in Sanctis suis. nam sicut ij, qui cùm triumphantes portant signa regalia, atque cum magno strepitu belli, instrumenti, & militis copia redeuntes à bello, post magnam victoriam coronati vrbes ingrediuntur, eos visura tota plebs accurrit: ita accurramus & nos, namque magnus dux Hyacinthus ingreditur vrbem, & patriam suam victo diabolo, & omnibus ministris & sectatoribus eius, triumphans, lætus caternis angelorum, & proprijs comitatus operibus, atque clangentibus angelis, & laudes eius personantibus, quia ipse magnus Domini seruus coronatus est, & post multas tribulationes, omnes lætitias nunc percipit. vt enim testatur propheta psalmo 115. qui seminant in lachrymis in exultatione metent. ipse qui in hac lachrymarum valle tribulationibus totus circumdatus, opera sua seminauit, messe Domini optima lætatus est: quia gaudijs lætificatus æternis in cœlo apud Christum suum, quo fruitur. vt enim testatur Apostolus 2. ad Corinthios 4. hoc quod in præsenti

mo-

momentaneum eſt & leue, in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Vbi nunc ſunt illi, qui querula ſemper voce, mortem homini nocuam eſſe, atque corpus hoc ſibi eſſe impedimento, aſſerunt? videant, & conſiderent Hyacinthi facta præclara, & ab hac maligniſſima obtrectatione conquieſcant. quid enim humano generi mors nocuit? quid verò virtutem corruptio corporis impediuit? iſte niſi mortalis fuiſſet, non potuiſſet propter Dominum mori, neque tot pati: & præterea quomodo ita ſe potuiſſet exercere pro Domino ſuo prædicans & conuertens infideles ad fidem, niſi mortales homines fuiſſent? nihil ergo nobis nocet mors vbi voluntas prompta eſt. nonne iſte mortalis fuit? nonne corpus habuit cunctis naturæ neceſſitatibus ſubditum? quid ergo vetuit eum illis, quibus floruit, ſplendere virtutibus? nullus ergo mæreat, quia mortalis ſit, vel corpus corruptioni ſubditum habeat: quia tantus poteſt effici, quantus Hyacinthus. namque vnde ille talis emerſit & tantus? ex proprio, & ex Dei, & ideo ex Dei, quia ex proprio. non

Vehemẽter reprehendit mortẽ timentes, atque incuſantes.

Mors nihil nocet.

eſt

est enim personarum acceptor Deus, Act. 10. & Diuus Paulus ad Romanos primo. quòd si dixeris, quomodo illum imitari possibile est, audias denuò Diuum Paulum prima Corinthios 4. & vndecimo dicentem imitatores mei estote, sicut ego Christi. ille Christi effectus est imitator, & tu nec Sancti: ille Domini, & tu nec serui: ille patris, & tu nec fratris? studeamus ergo & nos similes eius fieri, nec istud impossibile putemus: quia talis anima, tale corpus, tales cibi, quales in eo fuerunt, in nobis sunt. si præpares animam, nihil est, quod ab eiusdem gratiæ te possit prohibere muneribus. ita suus fuit ille Deus, vt & tuus. ille idem te formauit, qui & illum, & pater misericordiæ idem est. non enim proponas mihi mortuos, quibus ipse vitam dedit, neque alia miracula, quæ ipse virtute Dei operatus est: nihil enim à te horum requirit Deus: sed habeas charitatem illius perfectam, & coronaberis. neque solùm magnitudinem & eminentiam in illo consideremus virtutum, sed & naturæ societatem, per quam & nobis

Nos Dei auxilio multa posse.

bis in cunctis ille participat. & eandem coronam gloriæ dabit nobis Deus, eodem Deo fruemur, & idem cœlum habitabimus, & digni efficiemur, vt ſicut ipſe ornauit filium Dei, potentiamque & opera Domini, ornando manus eius; & ſicut ornauit carnem humanam, Apoſtolos, cum Sanctis, atque gentes, ornando veſtem ſacerdotis; cœlumque & terram, nec non animam fidelem, ornando templum Domini; atque tandem opera in gloria, & poteſtatem, ſapientiamque Dei, ſummi ſponſi manus decorando; ita & nos ornemus. & quia multa iam diximus de ipſo, & ſicut oculus delectatus fulgido cœli globo, ignitoue aliquo ſideris ſplendore, ſpectaturus oppoſitum lumen ſe violenter intendit, licet percipiat virtutem ſuam imparem eſſe ſubtilitati luminis illius, delectatus tamen nimium ſplendore illo, & deſiderio illius pulcherrimi luminis intuendi, libenter in diſcrimen ſe ponit, nec cedere vult; ſed quantum poſſunt vires ejus pati coruſcanti lumini ſe opponere inacceſsibilis lucis conatur. ita ego

Repetitio partiũ orationis.

cum

cùm perpetiar, tacebo. namque cum intelligam intellectus & mentis meæ oculos collirio aliquo ſcientiæ non firmatos, aut aliquo medicamine gratiæ fortes effe-ctos, ſiue oleo eloquentiæ clarificatos, ex radijs ſupernaturalis ſplendoris hebetari; cupio tamen miro ſplendore flagrantem conſpicere & conſiderare nouum Deum. ſed cum iam vires deficiant, atque breuiter aliquid de ipſo dixerim, ignoſcet ipſe mihi ſi taceo, vel potiùs ignoſcet, quod locutus fuerim, atque labijs immundis voluerim de te tanto viro loqui. dicam ſicut dicebat Diuus Paulus 2. ad Corinthios 11. ſuſtine Domine inſipientiam meam, & quod inſipientia locutus ſum: non enim reticere potui, cum audirem etiam irrationales creaturas ſanctum ſuum in Domino laudare. miſe-rearis ergo mei tu, atque præſumptionis huius me ne arguas: ex deſiderio enim manifeſtandi gloriam tuam ignorantibus eam factum hoc eſt, ſicut tu Chriſti manifeſtare gloriam deſideraſti. atque quia ductor meus es, poſt mortem meam ducere

Deſiderium oratoris.


re animam meam tecum ne dedigneris;
vt quæ tibi nunc est paratissima ad
seruiendum, Deo tecum ser-
uiat in æternum, quod
Deus nobis conce-
dat propter
miseri-
cordiam suam.
Amen.



CAROLI

CAROLI MONTECVCCOLI CARMEN DE SVA ORATIONE IAM FINITA,

AD S. HYACINTHVM.



INclyte nostrorum patrone Hyacinthe parentũ,
Sydereoque micans lux veneranda polo:
En hunc est sortita tui laudatio finem,
Hoc nostra exili dictio septa modo.
Mutus in immensos laudum prodire tuarum
Haud metui campos, osque aperire puer.
Et quæ tanta fuit iuuenili audacia linguæ?
Aut quis inermẽ animũ tam leuis ardor agit?
Nam quid profeci? meritis num consona tantis,
Aut tanti dixi nomine digna viri?
Maxima num generis persolui debita nostri?
Aut mihi laudandi num satiata sitis?
Hæc etenim, grato verborum extinguere riuo
Quam volui, verbis iam magis aucta calet:
Iam magis obiectat sese tua plurima virtus,
Diuersusque magis mente recursat honos.
Ergo volet Christi siquando benigna potestas,

Et summa matris gratia magna sinet ;
Afflatu siquando suo Polihymnia mentem
Suscitet , & Cynthi flumine corda riget ;
Siquando à cupido volet hoc tua gloria seruo ,
Atque ætas habilem vim stabilita dabit ;
Audacem hanc culpam meliore piabo cothurno ,
Et tua celsa libris pluribus acta canam :
Quidquid &, à rerum supremo fonte , talenti
Est mihi collatum , non latitare sinam .
Interea hos ausus comi , precor , accipe nutu ,
Nec primum temnas incipientis opus :
Meque genusque meum solito tutatus amore
Ad rutila in factis omnibus astra voca.

FINIS.

CAROLI MONTECVCCOLI INFIRMI, IMPLORATIO AVXILII.



PRæpotens cæli rutilantis author,
Fonſque cunctarum columenque rerum,
Subueni ſtrato; vegetas pio qui
Cuncta vigore.
Inclyta immenſi genitrix Tonantis,
Et ſacra æternæ ſcaturigo lucis,
Sis tua miti pietate Virgo
Sis mihi præſtò.
Huc, precum zelo patientiaque
Iugiter feruens Hyacinthe, ſpecta;
Hoc idem Sanctum xenium meo ſub
Pectore funda.
Nunc Iacobe almam mihi tende dextram,
Dira qui ſuffers peregrinus, amplas
Atque opes linquis; mea corda tali
Robore dita.
Diue ſuccurras quoque Paule, dura
Multa qui vincis validè, benignus

Exhibe robur ſapientiamque,
Inclyte doctor.

Adiuua Auguſtine, ſcientiarum
Luce diffulgens caput, hæreſumque
Malleus, doctum fidei tuendæ
Suffice pectus.

Sancte mox adſis Hieronyme, omni
Clare doctrina, mala dura paſſe
Pro Deo, ardorem mihi pœnitendi
Inde ſagacem.

Adſit adiutrix tua dextra, mira
Sanctitate ingens humilique florens
Corde, Franciſce, hanc humilem roganti
Effice mentem.

Præbeas, Thoma, quoque tu iuuamen,
Cœlica in terris ratione veri
Perſpicax; tanti mihi, Sancte, doni
Porrige partem.

Subueni Chriſti Catherina ſponſa,
Daque cor mundum ſapientiamque,
Quæ Deo doctos famulos diſerto
Ore lucraris.

Vrſula inuictæ grauis imperatrix
Virginum turbæ, fer opem, benigna

Supplici florem mihi puritatis
Inſere Virgo.
Cælites omnes, meritum per omne,
Quæque perpeſsi, per acerba fata,
Eſte veloces mihi nunc ad iſthæc
Danda petita:
Per Dei matrem, genitumque numen,
Et per amborum merita, aſperaſque
Per cruces, & per, pia veſtra quidquid
Viſcera flectit.
Abſit hinc à me Stygis hoſtis, abſint
Criminum næui, malaque vniuerſa,
Veſtra me dulcis bonitas amorque,
Vſque gubernet.
Summa maieſtas & honor ſupremus
Sit patri ſummo, ſimilique nato, &
Pneumati Sancto, tribus his & vni
Iuge per æuum.

FINIS.



MVTINAE,

In Officina Typographica Io. Mariæ de Verdis.

M DC XII.

